

Dissertationes in hoc volumine contentae.

1. Positiones quaedam Juridico-Politicae a Tubio quas praesit Henrico Grosse, J. V. D. publice veritati commisit Jacobo Clemens. Vratislav. Siles. Wittebergae.
2. Conclusiones aliquotae juris, praesit Daniele Habel J. C., a fensio a Got. Frido Martini J. C. Heidelbergae.
3. Positiones et inculpatae tutelae, quas disputandas proposuit Leopoldo Haselmann. J. V. D. Resp. Bernhardo ab Animo B. Eq. March. Lips. Diss. et factis, quam praesit D. Wilhelmo Schmuken a fensio Wil. helm Miller. Hamburg. Lipsia.
4. Diss. ad l. Transigere. 18. C. et Transactionibus, quam Conrado Carptovig J. V. D. Resp. Christiano Carptovio Colli. Misn. Siles. Wittebergae.
5. Positiones ex eadem l. 18, quas placida collari Libricis Fran. cisco Romang. J. V. D. Resp. Christiano a Banderstein. Lipsia.
6. Assertiones de Servitutibus realibus, quas examinandas proposuit Friedricho Georgio. J. V. D. Resp. Philippo Lockmann. Bonn. hessi. Lipsia.
7. Diss. et dolo, quam praesit Valentino Dienero. J. C., publice examini subiecit Magno Polyan. Hannover. J. C.
8. Diss. et Probationibus, quam praesit Conrado Carptovio J. V. D. publice examini exhibuit Henrico Schabbe. Wismar. Me., Capol. Wittebergae.
9. Diss. et Fidei Testamento, quam praesit Orsolopho Tomanno. J. C. mis Johannes Christophory Aremann. J. C. Zennae. J. C.

11. Diss. Inauguralis de Testibus, quam scripsit D. Valentinus Riemero, pro summo in iuribus iure gradu consequendo auct. M. Johannes Gepp. Steinbaco-Marchey. Jene.
12. Diss. de Juramento Testimonij et Iuramentis, quam scripsit Christiano Brunnberg. J. V. D. examinanda proposuit Johannes Dufur, Culbena-dusib. Wittebergae.
13. Diss. inauguralis de Juramento Mixtionis, quam contra scripsit pro summo in iuribus iure gradu consequendo publice proposuit M. Corbinianus Brundhorb. Wurcensis. Wittebergae.
14. Theses et Aestimatio quae sit praesumpraclam in litem, scripsit Johanne Leonhardo Agricola J. V. D. proposita a Benedicto Carpovio. Wittebergae. Lipsiae.
15. Diss. de gradibus in genere, et nominatis realibus in specie, quam scripsit Valentinus Riemero J. V. D. examinanda proposuit Conradus Dylich, Jura. Hannover. Jene.
16. Diss. de C. et Lex. Verdis, quam scripsit Adamo Einigoldo J. V. D. pro summo in iuribus iure gradu consequendo publice proposuit Hadrianus Post. Grunb. Siles. Wittebergae.
17. Conclusiones et Retractiones in gradibus, et ultimis voluntatibus, quas oppugnandas proposuit Wolffgangus von Brandenburg. Lipsiae.
18. Diss. de iuribus cognatis, quam scripsit Valentinus Riemero. J. V. D. placide collati subiecit Georgius Stephanus Schelhaase. Coburg. Franc. Jene.
19. Diss. de Nova, quam scripsit Nicolaus Jafosaym. J. V. D. de sententia suscepit Ericus Georgius Lange, Hamelon. Brunsvic. Wittebergae.
20. Theses de iure dotum, quae pro licentia in V. J. consequenda publice censurae subiecit M. Jacobus Blumetig. Lipsiae.



24. Conclusiones et Tituli, quas publicè disputandas proposuit Sigis, mundy Finkelhans. J. V. D. Resp. Jona Möstelio. Lipsia.

25. Dissp. et Testamenti ordinatio, p̄sit D. Christiano Erumbrecht et fensa a Zacharia Krauson, Reichenbach: Sil. Wittebergen.

26. Dissp. et Messianici et J. V. D. Fidei commissorum, quam pro summa in utroq; iure laurea gsequenda suis Arnoldy Breun. Esleb, Ba siles.

27. Conclusiones ep. l. v. D. s. sigs argentum. c. p. alio a. donores, Jost. et Donat. c. fin. Cod. pro licentia in utroq; iure gsequenda et fensa a M. Gabriele Juncel. Halensi. Lipsia.

28. Conclusiones ep. l. D. et C. utilissimi iudic. uti possit, publicè disquisitioni subiecta a Christian von Brandenbur. Lipsia.

29. Dissp. et Moratoria Prescriptione quam p̄sit Sadismundo Fin, Keltmans J. V. D. resp. et fendis Henney a Christophäel eq. Miss. Lipsia.

30. Brevi tractatu de Protestationib; quam p̄sit Georgio Schute. J. V. D. pro summo in utroq; iure Doctorat; gradu gsequendo publicè proposuit Adamy Einbold. Spremb. Lusat. Wittebergen.

31. Conclusiones ep. l. diffaman. c. et iudic. manum. et Clem; Jure. et v. sr. quas pro licentia Doctorali in utroq; iure gsequenda publicè discutendas proposuit Friedrich Trauboth. Grew. Westang. Lipsia.

32. Dissp. et questionib; quam p̄sit Wilhelmo Schmeck. J. V. D. discussi, eadem proposuit M. Andreas Schneider. Lipsia.

33. Positiones et Appellationib; quas pro licentia in utroq; iure gsequenda publicè discussim exposuit Roch Heilandt Weis, Gersfels. Lipsia.

32. Diss. de Actionibus in geer, quam scripsit D. Wilhelmus Schmuck hinc
Friedrich Fuchsely / Lipsia.

32. Diss. de Actionibus Cessione quam scripsit Valentinus Reimero.
3. C. publice defendit Conradus Bittberg. Altorf. Nov. Genes.

33. Diss. de Cessione Summum, quam scripsit Henningus Grossen. J. V. D.
pro Summo in U. J. Doctoratus gradu sequendo publice proposuit
Tobias Menig. Zültebaers. S. Wittebergae.

Quaestiones speciatim in hoc volumine
tractatae.

B.

Bankruptores s. mercatores falliti an tortura subijci possint,
an pecunias sibi creditas itemq; chirographa et rationes, quas
salvas adhuc penes se tene negant, creditoribus suis indicent.
diss. 28. coroll. II.

Haereticis an fides semel data sacrosancta et inviolabiliter
servanda sit. diss. 1. posit. 8.

3.
Imperator Romanus an sit vassallus Pontificis Romani. diss. 1.
posit. 2.

Imperator an dici possit, qd a Pontifice est coronatus, an v. res
hincmodò Romanus sit. diss. 2. posit. 3.

Imperator si fiat haereticus, vel saltem cum illis colludat, an p^o ea a
privato irfici, et a Papa et poni possit. disp. 1. pos. 5.

Invocantiam purgationis, in q^o regim^o causa sanguinis poenam infe
rende p^o sententiam g^otmnat, an a magistratu inferiori re
mitti possit. disp. 29. Coroll.

Jus Romanum an recedat a divisione. disp. 32. favore 3.

Magistratus politionis an potestatem habeat subditos armis usq^{ue}
lenitissimis ad religionem cogendi. disp. 1. pos. 6.

Magistratus subditos ad falsam religionem cogentem
resistere volum^{us}. disp. 1. pos. 7.

Magistratus iniqua p^ocipienti an obediendum. disp. 1. p. 11.

Orthodoxi cum dispersis religionis fratribus in ma^o rep^o et gen^o
tes, an contra communem hostem publicum exercitum pro
religionis defensione causa, optime iure in exercitu militare
queant. disp. 1. pos. 13. Q.

Indivisi^o ~~Principum~~ g^oser^oq^{ue}, an ad pacificationem religionis
validitasem sit necessaria. disp. 1. pos. 2.

Pacificatio Augustana et pace religionis an p^o triduum
concilium sit sublata. disp. 1. pos. 1. Principes.

8.
DISPUTATIO JURIDICA,

De

DOLO.

Quam

DEO TER OPT. MAX. FELICITER
ANNUENTE,

Permissu Nobilissimi Jctorum Ordinis,

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi ac Consultissimi,

DN. VALENTINI RIEMERI JCTI

& Antecessoris Celeberrimi, nec non Scabi-
natus Adessoris meritissimi,

Præceptoris ac Promotoris sui omni ob-

servantia cultu jugiter profes-

quendi,

Publico placidoquè examini subicit

MAGNUS Bölger Hannoveranus.

In Auditorio Jctorum

horis consuetis

Ad diem IX. Aprilis,

A N N O

M. DC. XXXI.

J E N Æ

Typis VIDUÆ VVEIDNERIANÆ.

DISPUTATIO JURIDICA

DOLOR

DE DOCT. OPT. MAX. FELICITER

AVGUSTINO

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi ac Consulentissimi

DR. VALENTINI RIEMERII I.C.T.

et Excellentissimi Celsissimi, nec non Jacobi

et Excellentissimi

Receptorum et Præsentium

MAGISTRI JOHANNIS HANNOVERIANI

in Auditorio

et ad hunc

ANNO

M. DC. LXXV.

LEIPZIG

in Typographia



Thesis I.



Materia doli, rem (quod a-
lias Imp. Justinianus de rei uxoriae a-
ctione in ex stipulatu actionem transfusa
ob intervenientem, ut credibile est & in
conventionibus quibuslibet frequenter ad-
hiberi solitam stipulationem in *l. un. C. de
rei uxor act.* affirmat) in omni penè corpori

juris effusam arg. *l. 1. §. fin. de dol. except. Gothofr. ad rubr. b. t.*
thesibus quibusdam comprehensam, discutiendam propo-
situri operæ pretium nos facturos arbitramur, si tractationi
externæ, ut Logicis appellare placet, non nihil immorantes,
in nomen ejus paucis inquiramus, maximè cum omnis ex
præcognitione nominis rei sit cognitio eademque considera-
tio ad rei ipsius definitionem non parum conferat, ut ex Ari-
stotele moneri solet.

2. Continet autem nominis explicatio tum vocis di-
stinctionem, tum ejusdem definitionem. Vocis distinctio
circa enumerationem significationum & ἐπιωνυμίας enoda-
tionem occupatur. Quæ si negligatur, dubium erit, ut ait
Arist. utrum dicere velimus eorum quæ declarantur eo ver-
bo quod multis modis dicitur §. *Top. 2.*

3. Sumitur vox doli I. pro mala animi destinatione
ac delinquendi proposito, quomodo delictis nominatis velu-
ti furto *l. 50. §. 2. de furt. rapinæ §. 1. Inst. de vi bon. rapt. l. 2. §. 1. 18*
ff. eod. homicidio l. 1. pr. & §. 1. ad l. Cornel. de sicar. inest;
Bargal. de dolo l. 2. c. 1. n. 16. 17. 25. II. pro lata culpa sub vela-
mento negligentia fraudem sub volvente, ut in l. 32. depos. l. 8.
§. 3. de precar. l. 1. §. 2. si quis test. lib. est l. 41. ad l. Falcid. junct.

l. 4. §. 2. si cui plus quam per l. Falcid. Zas. lib. 1. respons. sing. 6. 2. n. 31. Bargal. l. 5. c. 2. n. 47. III. pro solertia ac calliditate in bonum tendente l. 1. §. 3. h. t. quali usos fuisse dicere possemus Solonem, dum insaniam simulavit. Plutarch. in eius vita. Lycurgum dum reditum, Codrum dum mendicum Justin. l. 2. §. 3. & qua à medentibus ægros falli Lucretius testatur. IV. pro quavis callida machinatione ac simulatione fraudulenta in malum directâ, quomodo frequentius & passim accipitur t. t. de dol. mal & de except. dol. V. Prout est nomen generis boni malique doli species comprehendens Bargal l. 1. c. 1. num. 18.

4. In posteriori acceptione usurpamus ac definimus hic in initio, tertiam & quartam ad ejus species ablegantes. Prima & secunda, cum illa quidem ad Edictum Prætoris non pertineat & in speciale cadat delicti nomen Bargal. l. 1. c. 1. n. 21. & seqq. hæc verò impropria sit & hyperbolico potius loquendi more fiat Zas. d. l. non utimur.

5. Hæc de vocis distinctione, sequitur definitio explanationem ejusdem vel ex origine vel per æquipollens exhibens. Ibi etymon vocis consideratur; hic synonyma recensenda veniunt.

6. Originem vocis Donatus à verbo dolare esse putat, quod significat asciam sive dolabra levigare, complanare, diminuere, quod dolus quasi diminuat & lædat eum, qui decipitur. Rectius à Græco δόλος formatum vocabulum dicitur, quemadmodum à Græco ἐπίσκοπος latinum Episcopus, ab ἀγγελος angelus, ab ἀπόλογος apologus et sonat omnis generis deceptionem vel fraudem serio jocove adhibitam sive in rebus gravibus sive levibus. Bargal. l. 1. c. 1. n. 15. & seqq.

7. Ipsa autem Græca τὸ δόλος vox à verbo δέλω quod significat alliceo vel tectâ escâ decipio, deducta putatur. Artificio enim illecebroso capiuntur, qui dolo circumveniuntur, & hinc simpliciter dicuntur capti dolo circumscripti l. 3. §. 3. l. 7. §. 1. l. 9. §. 2. de min. l. quero 39. de pecul. l. 1. §. 42.

§. 42. *depos.* & captiones pro deceptionibus usurpantur *l. 1. pr. de minor. l. circa eum 14. in fin. de probat.* Alii à *de* derivant, quod ligare significat, propterea quod homines dolo quasi illigentur ac constringantur obligationem aliquam suscipientes vel alio modo in insidias deducti & irretiti *Bar. gal. dict. loc.*

8. Synonima doli, quatenus in genere quidem accipitur & bonum & malum comprehendens sunt astutia, solertia, fraus, consilium &c. quæ machinationem quandam sonant, & in bonam ac malam partem usurpata reperiuntur, sicut de fraude in bonam partem accepta constat ex illo *Æschili*

Fraude iusta nec abstinet Deus.

Et similiter de astutia ex illo *Pauli 2. ad Cor. 12. v. 16. cum astutus essem dolo vos decepi.* Adde *Proverb. 1. v. 4. & c. 13. v. 16. solertiam vocat Cic. 1. off. malitiosam illam Thracum factarum cum hoste induciarum & arbitrii. Q. Fabii Labeonis à Nolanis ac Neapolitanis ipsi de finibus agri delati, interpretationem, quam ipse deceptionem esse fatetur. Et consilium in malam partem pro dolo usurpatur l. 7. pr. h. t. & ib. Gothofr. l. sed & si 7. §. 11. de public. in rem act. l. 1. §. 3. de serv. corrupt. Hottom. 4. obs. 4. Loca ubi priora duo in malam, posteriora in bonam accipiuntur partem passim extant, ut proinde cum in utraque significatione reperiantur, generis quoque nomen eadem habere necessum sit.*

9. Tantum de explicatione vocis sive tractatione externa; sequitur interna quæ rei dicitur sive substantiæ. Quam quia monente *Cicer. l. 1. offic. omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur, à definitione etiam auspiciari placet seu potius descriptione quadam, cum definiendi ars difficilis sit & magnum usum postulet.*

10. Esto autem talis. Dolus est machinatio alterius sive in bonum fallendi, sive in malum decipiendi causa adhibita.

11. Generis loco est machinatio, quæ denotat omnis

generis attentata & molitiones verbis vel factis exsertas. Nec officit, quod metaphorica vox sit, cum etiam talibus uti si convenienter rem explicent, non omninò absurdum sit & ipsi Jcti in dolo definiendo eâ non abstinuerint *l. 1. §. 2. h. t.*

12. Additur fallendi alterius sive fraudandi causa, istam machinationem adhiberi. Quæ verba restringunt & ad certam contrahunt speciem machinationum, quæ variæ esse possunt, & vel ad rem alicui auferendam aut vitâ aliquem privandum aliaque esse directæ. Ad quæ etiam facta invasionis sive ablationis & occisionis in pœna deinde respicitur potius quàm simulationes, astus ac insidias, etsi quæ fortè præcesserunt *Hillig. D. E. l. 15. c. 40 lit M.* Illa autem quæ hic designatur machinatio est ad circumveniendum, fallendū ac decipiendum alterum intenta *l. 1. §. 2. h. t. add. l. 43. §. 3. d. furt.*

13. Et quidem aut in bonum si quis per ejusmodi circumscriptionem deservire ac sua vel aliena tueri velit, aut in malum, si nocere & alteri incommodare: si in bonum, dolus dicitur bonus, si in malum, malus, suntque hæc doli in genere sumti species. Bonus itaque dolus erit, qui in bonum circumscribendi causa adhibetur.

14. Genus subintellectum est hic dolus, quia machinatio, captio aut simulatio in dolo quoque bono intercedunt *fac. l. 1. §. 2. 3. h. t.* adeoque appellatione doli simpliciter prolata sine adjectione boni vel mali, si materia sit indifferens ut in utramque partem accipi possit, dolus etiam bonus continetur *Bargal, l. 1. c. 9. n. 22. & seqq.*

15. Dico si materia indifferens sit. Nam quod simplex ejus appellatio interdum de malo exauditur sit subjectæ materiæ ratione veluti in *l. si dolo 5. l. si voluntate 8. l. dolus 10. C. de rescind. vendit. l. dolum 3. C. de peric. & commod. rei vend.* Hic quia agitur de annullando & rescindendo contractu aut de nocemento ex causa interpositi doli, facilè quivis colligere potest, malum hic intelligi, cum dolus bonus actum non faciat irritum aut nullum, nec ad nocendum sed juvandum potius tendat. Quod ipsum contingit in omnibus vocabulis,

cabulis, quæ significare & capere possunt, duas intra sese res contrarias, vocanturque *mixta* sive media in *l. 1. §. 3. de serv. corrupt.* Cujus generis plura recenset *Gellius l. 12. c. 9. Gothofr. ad d. l. 1.* probatque exemplis *Bargalius* in amore, odio, desiderio, gaudio *d. l. n. 20.*

16. Nec obstat quod Prætor non contentus dixisse dolum adjecit malum *l. 1. §. 3. b. t.* Hoc enim respectu hostium ac latronum factum existimari poterit, ne qui adversus eosdem quidquam machinatur, Edicto Prætoris teneri putetur, quod & in *§. 2.* videtur innui. Tum si vel maximè dolum simpliciter prolatum in malam partem sumi dicatur, æquè cur mali vocabulum adjicere necessum duxerit, poterit queri.

17. Forma sive specifica doli boni differentia continetur in definitione verbis in bonum circumscribendi; quæ generi addita illud ad certam contrahunt speciem & ab opposito faciunt dolo malo differre. Quemadmodum enim is ad nocendum & incommodandum, id est, in malum intentus est; ita dolus bonus vel ad fraudem malasque artes excludendas vel ad sua. tutandum, damnumve evitandum aut salutem etiam alii alicui procurandam i. e. in bonum est directus.

18. Nec refert quod respectu hostium si adversus eosdem latronesve adhibeatur nocere videri possit & in malum adhiberi, cum non rarò iis exitium pestemque afferat maximam: Etenim inspicitur hic principalis intentio quæ non est illis nocendi sed nos potius nostraque defensandi adeoque cum non tam quod in consequentiam quàm quod principaliter sit, attendendum sit secundum *l. 10. de stat. hom.* ejus naturam non in nocendo sed juvando ac deserviendo consistere rectè statuitur *Barg. l. 2. c. 1. n. 18. & seq.*

19. Coeterum cum actiones suppositorum sint commodè hic ulterius subjectum sive ejusmodi captionibus ac dolo utentes considerari poterunt, maximè cum inspectio horum ad quæstiones quæ circa hunc tractatum agitantur inducendas non inutilis futura sit.

20. Illi igitur qui dolum hunc committunt sunt homines
solertiâ ac mentis sagacitate præditi. Bruta enim animalia si-
cut injuriam facere non dicuntur sed pauperiem eo quod ia-
tellectu carent *l. 1. §. 3. ff si quadrup. paup. fec.* ita nec dolo sive
bono sive malo quicquam facere rectè dici possunt.

21. Nec in teneram illam ac infantilem ætatem facile
cadit, cū ingenii talis vigor vix in ea reperiri detur, qualis hic
adhibendus est, Imò nullum dicitur ejus animi judicium
esse *§. 1. Inst. quib. non est perm. fac. test.* Unde ipsa talibus po-
tius subjacet dolis ac frequenter evenit ut puerorum ætas im-
provida ludificetur *add. l. 3. §. 1. de injur.*

22. Dupliciter autem quoad hanc causam considerari
homo potest vel tanquã persona publica vel tanquã privata.
Ab homine tanquã publica persona considerato committitur
dokus hic, veluti cum Princeps aut alius aliquis Magistratus
contra hostes pro Republ. ac subditis proque justitia quicquã
aliud agendo aliud simulando molitur. Quod fecisse legi-
tur Josua Dux populi Israelitici in civitate Ain capienda si-
mulando fugam incolasq; ab urbe abducendo positus interim
à tergo insidiis *Jos. 8. c. Domin. 23. q. 2.* similiter Salomon Rex pro
elicienda veritate & justiciã duabus mulierculis coram se de fi-
liolis altero vivo, altero extincto contendentibus admini-
strandã, callidè machinatus est. Jussit dividi infantem vi-
vum, ita appariturum ex affectione ratus, utra mater vera
esset *3. Reg. 3. v. 24. c. aperte ext. de presunt.*

23. A privatã personã committitur cum quis per dissi-
mulationem sua vel aliena tuetur aut adversus latrones quic-
quam machinando *l. 1. §. 2. 3. h. t.* aut adversus hostes ad eva-
dendum eorum potestatem *l. 26 de captiv. & postl. revers.* vel
alio modo astu ac arte composita in alterius commodum fa-
ciendo quicquam ac moliendo, veluti

pueris absinthia tetra medentes

Cum dare conantur, prius oras pocula circum.

Contingunt dulci mellis flavoque liquore.

Ut puerorum ætas improvida ludificetur

La-

Labrorum tenuis, interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur.

Lucret.

24. Atque hanc rem egregiam calliditatis partem & ab omni prorsus reprehensione remotam, maximè quoad hostes esse dicit *Valer. Max. l. 7. c. 4.* Et apud Homerum Ulysses viri sapientis exemplum, plenus ubique fraudum in hostem deprehenditur. Quamvis enim doli quædam genera in populis ac hominibus nonnullis, repudiata legantur, quomodo Achæos ab omni in hostes fraude abhorruisse memorat ex Polybio *Grot. de jur. bel. l. 3. c. 1. n. 20.* eamque demum firmam censuisse victoriam quæ confessos animo quoque subjugaret hostes. Et Alexander M. cum ad Gavgamela amici ei auctores essent, ut noctu Darium adoriretur & magnam hostium multitudinem, quæ suis terrorem de die incutere posset, tenebris absconderet, noluit id facere, sed respondit; Non soleo furari victoriam. *Plutarch. in Alexand.*

25. Verum hæc & similia non ex injustitiæ aliqua opinione & quod planè illicita credita fuerint, dicta & facta existimanda sunt, sed ob eximiam potius animi magnitudinem simulque apertarum virium fiduciam. Ut enim magnanimus nil nisi quod præclarum imprimis est, gerere satagit, ita non omnem occasionem apprehendit se ostendendi sed pulcherrimam *Hornei. l. 3. Ethic. c. 8. n. 4.* Est autem gloriosius, hostem si vi aperta atque armis vincas quam si clandestinis machinationibus ac fraudibus.

26. Quod testantur Romani illi Senatores, qui Q. Martio & A. Attilio legatis de decepto per inducias ac spem pacis Rege Perseo in Senatu gloriantibus, non in hoc se Romanas artes sed versutiam potius Punicam & Græcam calliditatem agnoscere dicunt, apud quos fallere hostem quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens quidem tempus plus profici, fatentur, dolo quam virtute, sed ejusdem animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa esset se neque arte neque casu sed collatis cominus viribus

B

justo

justo ac pio bello esse superatum, *Liv. lib. 42. c. 47. Grot. de jur. bel. ac pac. l. 3. c. 1. n. 20.*

28. Ergo quod quoad justi injustive opinionem parum interfit sive dolo seu, vi manifesta clamve palamve adversus hostem quis grassetur, manifestum est;

Dolus (enim) an virtus quis in hoste requirat? *Virgil. l. 2. Æneid. add. sc. Dominus 23. q. 2.*

29. Quod tamen non immeritò restringendum videtur ad ea, quæ natura & belli constitutio permittit, sui que ac suarum rerum custodia aut defensio suadet. Etn. quamvis nō parum injuriæ incommodique hosti afferri videri possit v. g. filias atque uxores ejus per dolum & insidias stuprando; cum tamen hoc neque ad securitatem acquirendam neque ad pacem propriè pertineat, meritò ab eo abstinendum judicatur, nec dolis bonis quibus adversus hostes uti licet, esse annumerandum.

30. Id quod & moratoribus populis persuasum fuisse legimus. Unde *Ælian. l. 6. variar. hist.* cum tœminarū ac virgunū Pellensarū pudicitiam à Sicyoniis victoribus prostitutā narrasset, exclamat; Crudelia hæc per Deos Græciæ & quantum memoria cōplector, ne ipsis quidem barbaris probata. Quod proinde multo magis inter Christianos observari par est; sicut nec Hebræa lege impunè quenquam id tulisse colligit; *Grot. de jur. bel. l. 3. c. 4. in fin.* ex eo quod de captiva ducenda nec vendenda postea *Deut. 21. v. 10. & seqq.* constitutum reperitur. *Et Bargal. tract. de dol. l. 1. c. 5. n. 28. & seqq.* nec hosti quidem fœnerari licere hinc inter alia contendit, cum scilic. hic modus hosti incommodandi à belli natura paulò alienior sit, nec tam pro sui ipsius corporis aut Reip. defensione fiat, quam auri fame ac desiderio. Quod tamen de Jure Canonico quo ibidem jus usuræ dicitur esse, ubi est jus belli *c. ult. 14. q. 4.* dubium recipere possit & nisi ratio necessitatis quæ quoad captivos ac servitutem, quoad fœdera & inducias jus quoddam introducere potuit, in usuris autem cessat, quicquam operetur vix est, ut defendi queat.

31. Sed

31. Sed porrò pro pleniori hujus rei consideratione de re circa quam dolus hic occupatur sive objecto paucis etiam videndum erit. Quod pro ratione instituti præsentis potest vel res temporalis constitui vel res Spiritualis. Temporalem voco quæ spectat negotia hujus præsertim vitæ commodis deservientia; Spiritualem quæ alterius. Illa in contractibus & similibus inter vivos actibus, ut & judiciis, legibus denique maximè considerari potest. Circa utrumque autem inspectio publicæ vel privatæ personæ adhiberi.

32. A publica persona in Spiritualibus commissi doli hujusmodi exemplum habemus in Propheta Nathan. Is n. ut Regem David ad agnitionem peccati commissi perduceret, fictione eum divitis præripientis pauperi unicam ovem circumvenit 2. Sam. 12. Quo & referri potest, quod Paulus gentium Doctor Corinthios se dolo decepisse scribit 2. Cor. 12. v. 16.

32. Privatæ personæ exemplum capere possumus in parentibus more veterum Philosophantium liberis suis imponentibus. Ut enim illi quò rudes hominum animos ad percipiendam disciplinam allicerent, salutares sententias sanctaque dogmata fabularum velis contegebant. Ita & hi ad instillandum teneris liberorū animis Dei timorem ac dilectionem fingunt cælitus dona ut vestes & similia morigeris ac probis afferri; immorigeris vero ac improbis non tantum nihil vel dari vel mitti, sed & quæ data sunt quæ subtrahi & auferri.

33. In temporalibus quomodo à publica persona dolus admittatur maximè pro Rep. adversus hostes machinando in præcedentibus paulo ante dictum est. Sed quemadmodum id omne extra casū intervenientis alicujus conventionis aut promissionis intelligendum fuit; Ita non immeritò fide hosti per conventionem data vel promissâ quæritur, illa ne servanda sit, an verò dolus bonus videri debeat si non stetur promissis isque per fraudem ita circumscribatur?

34. Hæc quæstio ut eo distinctius pertractari possit, utile fuerit, quot hostium genera sint videre. Ac eorum

quidem sex esse perhibet *Hottom. illust. q. 7.* Primò enim sunt hostes verè proprieque ita dicti, qui externi sunt (cum & eo verbo vetustè peregrini appellarentur *Cic. 1. offic.*) et qui nobis aut quibus nos publicè bellum decernimus *l. 118. de V. S. l. hostes 24. de capt. & postlim. revers.* Deinde defectores qui ab his sub quorum imperio sunt, desistunt & in hostium numerum se conferunt *l. amissione 5. §. 1. de cap. minor.* Tertio piratæ ac latrunculi, qui cum bellum non indixerint, hostiliter tamen grassantur. Quarto adversarii, qui civilem alunt discordiam *l. si quis 21. §. 1. de captiv.* Quinto proscripti ac hostes à senatu iudicati *d. l. 5. §. 1. de cap. min.* Ac denique sexto servi fugitivi qui arreptis armis in hostium conditionem transfiliunt, ut fecit Spartacus, de quo *Livius Epit. 95. 96. 97. & alii.*

35. Cum primo hostium genere pacta inita servanda esse, nec per fraudem violandam datam fidem minus dubium videtur eò quod cum his conventionum ac proinde obligationum quoque communio intercedit *fac. l. conventionum §. de pact. l. ult. de legat. c. ius gentium dist. 1. Hottom. d. l.* Nec etiam jura belli quæ tota in fide ac justitia colenda consistunt *t. t. de re milit. & de captiv. ac postlim.* absque hoc salva atque integra manere possunt.

36. Accedit saniorum gentium perpetua observantia, quæ præcipuè enitet in Romanis, & historiam eorum legenti non ignota esse potest, *vid. l. postliminium 19. §. 7. de captiv. & postlim. Valer. M. l. 6. c. 6. Gell. l. 20. c. 1. Cic. 1. offic.* Tum virorum gravissimorum testimonia. Ita enim Augustinus ad Bonifac. in Epist. cujus fragmentum relatam est in *c. noli. 23. quest. 1.* Fides quando promittitur etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. Et notum est egregium illud Silii Italici

optimus ille
Militiæ, cui postremum primumque iucris
Inter bella fidem.

ut

Ut proinde illud Machiavelli in *Principe* c. 18. dogma non possit non falsum esse, quando quibus demum rationibus Princeps tueatur vitam curetque imperium conservare, modò illis colorem quendam inducat ut speciem honesti præ se ferant, nunquam non honore dignas laudibusque existimandas parat *Hackelm. illustr. quest. Diss. 9. th. 1. lit. 1.* *Hottom. illust. quest. 7. Bodin. de Republ. l. 5. c. 6. pag. (mibi) 928.* *Grot. de jur. bell. l. 3. c. 19. n. 1. Barg. de dolol. l. c. 5. n. 11. & seqq.* *Hillig. in D. E. l. 15. c. 40. lit. C.*

37. Quod tamen omne intelligendum erit si ab altera parte fides etiam illæsa custodiatur. Nam alias rectè secundum vulgatum versiculum. Frangenti fidem fides frangetur eidem, arg. l. cum proponas 21. C. de pact. & ib. Gothofr. l. si cum 6. C. comm. veri. judic. c. frustra 77. de reg. jur. in 6. c. pervenit. ext. de jurejur. Nec justè conqueri de violatâ fide poterit, qui suâ se culpa in eam conditionem constituit, in qua extra culpam quoquo modo lædi potest. Perdit enim jus quod per promissionem collatum sibi habebat, reponiturque in priorem statum, in quo quicquid demum in eo sit, jus belli defendit, ut Marcellus apud Livium l. 26. c. 3. ait. *Grot. de jur. bel. l. 3. c. 19. n. 14.*

38. Et hoc quoque locum sibi vendicat, etiam si jurisjurandi religio, ad fidem accesserit *fac. c. pervenit 3. extr. de jurejur. Gothofr. ad l. 21. C. de pact.* Etenim habet id etiam inclusam conditionem illam si alter fidem servaverit arg. l. ult. c. de non num. pecun. l. quero. 54. §. 1. ff. locat. Quomodo & vasallum non adstringi ad fidem Domino servandam traditum est, si Dominus quod promiserit non observet *gloss. pen. in §. 1. de nov. form. fidel.*

39. Quod si verò post fractam fidem iterum eidem fides promittatur, dubitari potest illane facta tecta servanda sit, an verò quasi per dolum bonum & in perfidiæ poenam eam rumpendo circumveniri possit ac decipi? Et sanè quamvis primo intuitu posterius omninò affirmandum videatur, quippe cum non possit legis auxilium vel justiciam

invocare quam quis contempsit *per l. auxilium ff. de minor.*
Tamen cum homines hi esse non desinant, maneatque socie-
tas rationis & sermonis, ex qua obligatio illa ex promisso na-
scitur, tum negari non possit, quin agatur cum illis quâ tali-
bus ubi de perfidiæ poena remittendâ actum censi debet, ne
actus in vanum recidat, priori subscribendum & fidem de-
nuò datam servandam esse ducimus *vid. Bodin. d. l. p. 938.*

40. Quod eò libentius asserimus, quò observantio-
res Romanos optimè jurium fecialium ac totius justitiæ, cu-
jus fides fundamentum est *Cic. 1. offic. vim callentes*, hac in-
re fuisse videmus. Hi sanè Pœnis, quorum toto terrarum
orbe infamis fides ac calliditas fuit, sanctè promissa servare
studuerunt, se non eos quibus hoc præstabatur, aspicientes,
ut in hoc argumento loquitur *Valer. Max. l. 6. c. 6.* Et Sergius
Galba Prætor in Hispania cum magnam Lusitanorum foedi-
fragorum manum novâ interpositâ pactione interemisset,
eo nomine à Tribuno plebis accusatus est, fuissetque con-
demnatus, nisi quæ innocentia tribui nequiebat absolutio, re-
spectui filiorum ipsius parvulorum data fuisset *Valer. M. l. 8.
c. 1. Livius Ept. 49. Grot. d. l.*

41. Ex dictis iudicium de reliquis hostium generibus
in simili fieri potest. De adversariis quidem res minus dubia
videtur, quod meliore etiam quàm priores hostes conditio-
ne esse constet ex *l. si quis 21. §. 1. de captiv. & postlim.* Nec in
defectoribus ut qui hostium numero jam sunt eorumque
proinde jure utuntur *l. 5. §. 1. de cap. minut.* dubitamus. Sicut
nec in fugitivis quibus etiam communio juris naturæ salva
manet, per *l. quod attinet 32. de R. 7.* & cum quibus actum in
Pyrenæis montibus de compositione legatosque invicem
missos fuisse refertur apud *Cæsarem bell. civil. lib. 3. Hottom.
illustr. quest. 7.*

42. Circa latrones ac piratas majus dubium esse vi-
detur propter autoritatem Ciceronis, qui *3. offic. pactum*
prædonibus pro capite pretium ne si jurati quidem non
attulerimus ad nihil nos teneri affirmat, nec fidei
aut

aut jurisjurandi communionem ullam cum iis esse debere
asserit.

43. Verum utut fortassis jus illud bellicum quod Ci-
cero paulo ante cum hoste servandum esse dicit, sive commu-
nio illa specialis quam inter hostes in bello solemniter ac pleno
introduxit jus gentium cum illis non intercedat; (Nam juris-
gentium aliquam communionem habere prædones probat
Tryphoninus Jctus cum Marcello in *l. bona fides 31. §. 1. de pos.*)
At quia homines esse non desinunt, sicut in præcedentibus
dictum, juris naturalis, ex quo ut pacta servanda sint, descen-
dit, communionem non amittunt omninò, adeoque nec in-
differenter sibi quisque fidem istis datam ac tanquam per do-
lum bonum ita adversus eos machinari liceat, frangere licere
rectè putaverit. Multoque minus si juramenti accesserit
religio, ubi si vel maximè personæ, cui juratur, jus deficiat
quia tamen cum DEO etiam negotium est *arg. c. debitores
ext. de jurejur.* quâ de causâ & juramentum voti nomine
nuncupatur, id ad pariendam obligationem sufficere potest
*Grot. l. 2. c. 13. n. 15, & l. 3. c. 19. n. 2. & seqq. Hottom. illustr.
quæst. 7.*

44. Bannitis denique ac proscriptis (etenim & hi ho-
stes sunt maximè quando impunè offendi possunt *fac. l. ejus-
dem 3. §. fin. ad l. Cornel. de sic. l. si servus 4. C. de his qui ad Ec-
cles. confug.*) securitas ad excusandum sese vel investigandum
conjuratos promissâ sine labe etiam servanda erit & nequa-
quam sub specie doli boni violanda, ne sub fide quenquam
publica decipi contingat, contra *l. un. §. 5. C. de Latin. lib. toll.
l. 1. C. de his qui ven. atat. & oriatur inde occasio injuriarum
unde jura debebant nasci, l. meminerint 6. C. unde vi. l. 2. C. de
indict. viduit. toll. Hackel. illustr. quæst. Disp. 9. th. 1. lit. 1. Hottom.
illustr. quæst. 7. Bargal. l. 1. de dolo c. 6. n. 9. & seqq.*

45. Nec tamen Reipub. interesse ut delicta puniantur
*l. si operis 14. C. de pœn. l. ita vulneratus §. 2. ad l. Aquil. & ut
malis careat hominibus l. congruit pr. de offic. Præs. inficias
imus. Unde nec promptè & ubi ex usu Reip. fore non apparet*
aut

aut alijs proscripti defensio & excusatio non requirit, fidem ac securitatem publicam accommodandam esse concedimus vel potius determinatè esse dandam *fac. Novell. 17 cap. 6.* Eam tamen semel concessam eo modo quo concessa est custodiendam dicimus, nec sine dedecore aut læsæ majestatis crimine *arg. l. 2. C. de his qui ad Eccles. Coler. de process. execut. p. 4. c. 1. n. 191.* violari posse. Ubi enim fidem frangere fas est, dare certè nefas est, sin fidem dare jus est, datam servare oportet, ut scitè Bodinus *l. 5. de Rep. cap. 6. pag. mihi 936. Duar. ad l. conventionum de pact. ad verba: quoties inter se duces.*

46. Ex quibus ulterius quid impunitate reo à judice ad eliciendam confessionem promissa statuendum sit, apparet. Laudabilem hunc sane modum perquirendæ veritatis vix quispiam dixerit, licet *Duarenus in d. l. conventionum* non aspernandum putet. Quod si igitur per ejusmodi promissionem confessio extorta fuerit, siquidem à tali qui delicti gratiam facere possit, quasi per dolum bonum circumventum damnari reum non posse plerisque suffragantibus statuimus, innixi & naturali ratione, quæ fidem servandam suadet *l. 1. pr. de pact. & civili, ne alii ad similia revelanda, de fide. judicis illius desperantes, deterreantur arg. l. quod si 24. §. 1. de minor. Clarus §. fin. pract. crim. q. 55. n. 9. Treutl. Diss. 6. vol. 1. th. 2. lit. A. Bargal. l. 1. c. 6. n. 46.*

47. Sin à tali, qui non possit, licet Reip. ac legibus in remittendâ pœna præjudicare in totum nequeat per *l. 1. §. 4. ad Scutum Turpil.* quantum tamen in ipso est, nullatenus sub doli boni velamento ex hac confessione aut ad pœnam vocare, aut alio modo contra promissi fidem, maximè illæsa conscientia, venire licitè poterit *Bargal. d. l. num. 55. & seqq. Coler. d. l. n. 192. Duar. ad d. l. conventionum Alciat. ad l. 177. de V. S. Moller. semestr. quæst. l. 2. cap. 1. num. 2. Zas. h. t. num. 2.*

48. Ita fuit doli bonus personæ publicæ in contractibus sive pactionibus & judiciis. Circa leges easque sancientas admissi doli boni à personis publicis specimina produci possunt

possunt in Lycurgo cives suos ad observantiam legum promulgatarum usque in reditum suum adstringente *Justin. l. 3.* aut eodem colloquium & congressus cum Apolline, in Minoe Cretensi cum Jove, Zaleuco Locrensi cum Minerva, Numa Pompilio cum Dea Aegeria fingentibus *Valer. Max. l. 1. c. 2.* Quo quidem ipso tantum à posteriori effectum refert *Livius l. 1. cap. 21.* ut fides ac jusjurandum propulso legum & poenarum metu civitatem rexerint. *Arnis. in Politic. lib. 2. cap. 3. in fine.*

49. Hæc de dolo bono publicæ personæ in temporibus; Ex quibus quid circa eadem privatis liceat pactione ac promissione non tantum nulla interveniente sed etiam eâ interpositâ, si quatenus suo modo in similibus dolo bono uti possint, quaratur, maximam partem cognoscere facile erit. Dico de suo modo similibus pactione interpositâ quæstionem esse, ne quis privatorum pactis statum aut dignitatem Reip. immutari aut diminui contra *l. jus publicum 38. de pact.* posse putet.

50. Propter autoritatem tamen Bartoli in *l. conventionum de pact.* & sequacium, si fides hosti à privato etiam de re privatam paciscentis rationem veluti pretium redemptionis aut reditum concernente data sit, dubium suboriri poterit, an quasi per dolum bonum frangi & violari, an vero integra & illæsa nullo doli ejusmodi prætextu adhibito servari debeat, ad severantibus illis fidem datam non tantum non servandam esse sed & ultrò violandam *Zas. in apolog. cont. Ecc. n. 4. & de Judæis q. 3. v. sed obicitur nobis.*

51. Verum cum longè perniciosissimum futurum sit, si non hac pactione obstrictum promittentem dicamus; (quis enim captum fide acceptâ dimissurus ad pretium fortè pro capite afferendum, si per dolum quasi bonum sibi imponi & licitè promissum denegari scierit?) tum generaliter fidem juris nostri autores servandam asserant, nec ullibi casum excipiant præsentem; imò potius & in eo promissi obligationem quandam oriri non obscure innuant,

C

in

in *l. nam & servus 21. de negot. gest.* ubi qui pretium redem-
tionis promissum pro alio solvunt, illud per negot. gestor. a-
ctionem repetunt, quod non possent si non fuisset debitum.
l. si quis 23. eod. satius videtur ut & hic fidei rationem constare
debere nec sub ullo doli boni commento violandam esse sta-
tuatur *Duaren. ad l. 1. pr. de pact. Hackelman. illust. quest. Dissp.*
9. th. 1. lit. 1. Bargal. de dolo l. 1. c. 5. n. 11. & seqq. Cic. 1 offic. ib.
atque etiam si quid singuli & c.

52. Quod etiam obtinebit, si proscripito cuidam et
exbannito à privata persona hoc in genere quid promissum
sit per ea quæ in prioribus deducta & *l. 7. S. si paciscar. de pact.*
Hottom, illust. quest. 7. Vaud, vari. quest. l. 1. q. 51. Bargal. c. 7.
n. 42. & 43.

53. Denique cum litigantes in judiciis belligerantium
quandam rationem habeant, unde passim adversarii in jure
appellantur *l. 9. C. de pact. l. 1. C. de eaendo l. 7. S. 9 h. t. & ad-*
vocati dicuntur militare in l. 14. C. de advoc. divers. judic. occa-
sione hostium ante memoratorum de hoc togato bello, nihil-
ne referat, utrum in eo dicti causarum patroni causam ju-
stam defendentes fraude & cuniculis quasi actis, an verò per
legitimos tramites calumniantium iniquitates expellant,
quæri potest. Et sanè communi ferè *DD.* consensu in eam
sententiam itum est, licere advocato bonam causam falsis ra-
tionibus quasi per dolum bonum tueri ac fraude fraudem
trudere, adeò ut pro consilio traditum reperiatur, plurimas
semper rationes iudicibus afferendas, verisque falsas immi-
scendas, cum indocti plerique, qui justis argumentis fidem
non adhibuerunt, futilibus moveantur, referente ita *Alciato*
ad l. 177. de V. S.

54. Cæterum cum malitiis obviandum esse noscatur
l. in fundo 38. de R. V. c. Jedis Apostolica extr. de rescript. & verò
apertissimæ cavillationis ac juris iudiciorumque perversio-
nes hac occasione inducerentur, tum justam causam habenti
legitima non desint remedia quibus suæ causæ consulere &
adversarii iniquitates expellere possit, vix talibus uti viro
gravi,

gravi, non majorem victoriae quam veritatis rationem, uti
debet, habenti, convenire probari poterit *Alciat. d. l. Bargal.*
l. 1. c. 7. n. 13. & seqq.

55. Et ut fortassis interdum non tam calumniosa quam
subtili quadam adinventione, ubi damnum, quod quis nul-
lo suo merito incursum esset, alia ratione melius evitari ac
depelli non potest, uti licitum esse possit *arg. l. atquin. 19. §. 3.*
de negot. gest. l. cum pater 77. §. 31. de legat. 2. hoc tamen non
adeo extendendum erit ut etiam sine gravi causa & quasi lu-
sus gratia, id fieri licite posse, debeat credi, quemadmodum
id pluribus persuasum esse *ex Alciato d. l. colligere ferè licet.*
vid. Hillig. D. E. l. 18. c. 3. lit. uu.

56. Finis doli boni est utilitas tum nostra tum Reip.
aut aliorum, ut quibus omnibus hoc quasi compendio inco-
lunitas, salus ac requies acquiri potest. Ad quod quidem
ipsa nos natura instigare ac impellere videtur. Est enim ut
pulchrè *Cic. pro Milon.* hæc non scripta sed nata lex, quam non
didicimus, legimus, sed ab ipsa natura arripuimus, hausi-
mus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti
sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in-
vim in tela latronum aut inimicorum incidat, omnis sit ho-
nesta ratio expediendæ salutis *add. l. 3. de justic. & jur.*

57. Eademque pro tutela ac utilitate propinquorum
suscipere illa ipsa nos docet, ut & aliorum, cum inter nos co-
gnationem quandam ipsa quoque constituerit *d. l. 3.* Nec
non pro salute Reip. patriæque, cui cum non minus quam
ipsis parentibus atque amicis natissimus *l. 1. §. 15. de vent. in-
poss. mitt. Cic. 1. offic.* idem etiam debere nos credendum est. Et
tantum de altera doli specie bono nimirum dolo.

58. Sequitur dolus malus, de cujus definitione anceps
in primis ac varia non tantum apud veteres juris interpretes,
sicuti videre est *in l. 1. h. t.* sed & modernos contentio est, ho-
rum quidem aliis illorum definitiones retinentibus, aut aliam
præ alia probantibus, aliis easdem explodentibus novasque
assignantibus

59. Ceterum minus longioribus illis disceptationibus placet hanc sensu a mente Galli Aquilii non alienam. Et enim consultus de facto ubi alteri quid dicitur, respondit quidem, dolum esse, cum aliud simulatur, aliud agitur *Cic. 3. offic.* Quæ tamen verba de mala simulatione ex subjecta materia aperte accipienda sunt, ac si dixisset cum malitiose & alterius decipiendi ac lædendi causa aliud simulatur. *Donell. l. 15. comm. c. 40. & ibi Hillig. in D. E. lit. K. Horron. 4. obs. 4. Duaren. ad l. 7. §. 9. de pact.* nec a Servii Sulpitii in *l. 1. §. 2. b. r.* aut Pedii in *l. 7. §. 9. de pact.* imò & Labeonis in *d. l. 1.* ut ut is ingenii qualitate fretus ac studio innovandi *arg. l. 2. §. 47. de O. 7.* a prioribus diversum sentire videri velit *Decian. in prax. crimin. l. 1. cap. 4. num. 6.* definitionibus proditis discrepantem, tradere, quod sit, qui alterius decipiendi sive in malum circumferendi causa adhibetur.

60. Generis subintellecti loco est dolus; Unde & calliditatem, fallaciam ac machinationem eius colligitur; Describiturque potius iis verbis actum quendam intendentibus, quam per affectum ac primam animi libidinem, cum hæc magis Ethica consideratio sit, quæ à Jcto præsupponitur, & cujus beneficio delicta, ut quæ voluntas ac propositum distinguit, *l. qui injuriæ 53. pr. de furt.* rectè pernosci ac discerni possunt. Tum ita consideratus dolus excedit, ut supra quoque dictum, Edicti de dolo malo propositi terminos, & cuius etiam delicto nominato ceu qualitas quædam inest, quam adesse oportet, sicuti hac ratione dicitur, neminem sine dolo capite esse plectendum *vid. Hillig. d. l. lit. M. Decian. d. l. & num. 9.*

61. Adjicitur quod in malum alterius circumferendi causa adhibeatur. Quæ verba specificam continent differentiam hujus doli & ab opposita specie discernunt. Dolus bonus ad juvandum tuendumque sua vel aliena est directus, ut supra probatum: Malus è contrario ad nocendum, adeoque in malum est intentus *l. 1. pr. b. r.* sicut aliàs contrarium

trarii sunt contrariorum effectus, *fac. l. ult. §. fin. de le-
git. 3.*

62. Dispelei autem, pro factorum, quibus adhibetur,
generibus, potest, in eum, quo ab aliquo volente; sed deco-
pto quid exprimitur, & quo ignorantem quid excutitur & au-
fertur *Donell. d. l. & ib. Hillig. lit. F. Bocer. class. 5. Disputat. 6.
thes. 43.*

63. In priori Domino res facta suo perit errore seu
verbis seu facto objecto; Unde duæ etiam ejus species exi-
stunt Fallacia scilicet & machinatio. Fallacia est quando
quis fando sive vanis laudationibus affirmationibus aut sua-
sionibus inducitur ad faciendum quod sibi nocet; Ut cum
quis alio persuadente ac tanquam idoneum collaudante pe-
cuniam credit ei qui idoneus non est *l. quod si §. b. t. vel pati-
tur quempiam judicio absolvi falsa persuasionem inducto, nul-
lam illius societatem fuisse cum eo, cui ipse heres extiterat.
l. servus 20. §. i. b. t. vel hereditatem damnosam adit alio ido-
neam esse mentiente l. ult. b. t. vel repudiat lucrosam quasi
minus solvendo sit, vel optat servum quasi melior in familia
non sit, alio per fraudem id affirmante l. si quis affirm. 9. §. i. b.*

64. Machinatio (in specie scilicet accepta) est quan-
do facto composito permoveretur quis & pertrahitur in falsam
opinionem, ut quod sibi obest, faciat, veluti si quis permitta-
tur saxum è fundo alicujus cedere vel cretam aut arenam
fodere & sumtu facto prohibeatur tollere *l. si cum 34. b. si effi-
ciatur remora scilicet aliqua injecta ut quis legitima tempora,
quibus in judicio adesse, debebat, transire permittat l. arbitrio 18.
§. pen. b. si quis patitur rem usucapi ob hoc quod alius de-
eare, quam tamen non possidebat, fraudulenter se obtulerat
& judicatum solvi satisdederat l. pen. b. si fundus alienus
fraudulenter donetur alicui & post culturam sumtusque in-
eum factos à Domino evincatur l. Aristo 18. §. fin. de donat. Cui-
juscumodi & factum Pythii est apud Cicer. 3. offic. Cannio im-
ponentis, quamvis fallacia quædam concurrerit *Donell. d. l.**

65. In altera doli specie cum quid ignorantibus excutitur & adimitur, aliud principaliter fit & simulatur, aliud agitur, ut inde per consequentiam jus alterius aut deterius reddatur aut perimatur; Ut si procurator passus sit vincere adversarium meum ut absolveretur lisque mihi periret *l. 7. §. pen. b. t.* Si qui servum mihi debebat venenum ei dederit & sic eum tradiderit; vel fundum & dum tradit imposuerit ei servitutem, vel ædificia diruerit, arbores exciderit vel extirpaverit *l. 7. §. 3. eod.* Item si quis persuaserit familiæ meæ ut de possessione decedat indeque damni quid mihi accesserit *l. cum quis 31 eod.* aliisque modis compluribus *vid. l. 7. §. 4. 5. 6. l. 18. §. 2. & ult. l. 24. b. t. Donell. d. l.*

66. Quamvis autem omnes dolum hunc committere possint, ut est humana natura in malitiam, quæ idem est cum dolo *arg. l. 1. pr. b. t. proclivis Nov. 5. c. 2. v. 2.* Unde vulgari dicticho dicitur.

Inter mortales regnant fraudesque dolique
Et nulla est pietas pectoribusque fides.

Quia tamen quidam vel ob eximium virtutis habitum, vel aliâ ratione ætatis, vel sexus, vel officii vel simplicitatis vel ægritudinis alicujus minus inclinant in malum, fit ut pari ratione qua cæteri dolum non committant aut committere credantur, subjectumque adeo minus habile hujus doli constituent. De quibus paucis jam videndum erit, cum his cognitis, qui propriè doli capaces sint, non possit ignorari *arg. pr. Inst. qui sui vel alien. jur.*

67. Doli incapaces ob ætatem sunt pupilli, id est, in puerili ætate constituti. Ita enim hic in latiori significatione accipimus & usurpamus secundum etymon vocis, quo à pupo derivatur, quæ dictio puerum significat, quomodo accipitur in *l. quam Tuberonis 7. §. pupillum de pecul. l. fin. §. 2. de V. O.* & unde pupillaris substitutio nomen habet. Jurisconsultorum autem frequentior usus aliter accipit pro eo, qui cum impubes est, desinit in potestate patris esse & subjicitur potestati

stati tutorum l. 239. de v. s. & ib. Alciat. Bargal. de dol. l. 3. c. r. num. 7. 8.

68. In priori, ut dictum, significatu accepto vocabulo rectè negatur in pupillum dolum cadere l. 22. pr. ad l. Cornell. de fals. cum sciens fallere nesciat l. qui jurasse 26. pr. de jurejur. Nisi tamen proximus pubertati sit d. l. 1. §. 6. l. 13. §. l. h. t. l. apud 4. §. de dolo 26. de except. dol. l. 3. §. fin. de tribut. act. Cum enim eo casu & furandi & injuriæ faciendæ capax sit l. pupillum 111. de R. J. l. 23. de fact. dolum quoque admittere poterit d. l. 23. Proximus autem pubertati quis haberi quoad hanc quæstionem debeat omnium rectissimè judicis arbitrio habita ratione circumstantiarum & rei de qua agitur & personæ impuberis aliarumque determinabitur arg. l. excipiuntur 4. ad SC. Syllan. Menoch. de arb. t. jud. quæst. c. 57. n. 44. Gædde de contrah. stip. §. 7. n. 204. Coras, 6. miscell. c. 23. Treutl. p. 1. Disp. 6. th. 5. lit. b. Vigl. de testam. ord. num. 11. §. testes autem Bargal. d. l.

69. Deinde ratione ægritudinis furiosi è numero proprium doli subjectum constituentium eximuntur. Carent enim mente §. 1. Inst. quib. non est permis. test. & quod per furorem accidit tanquam si casu aliquo sine facto personæ accidisset, habetur l. ult. in fin. de admin. tut. Quod intelligendum de iis quatenus tales sunt. Cum enim aliis continuum furoris infortunium accidat, alios autem morbus non sine laxamento aggrediatur l. cum aliis 6. C. de curat. fur. posteriores in confinio illo furoris & sanitatis, sive intervallis dilucidis constituti, doli non censentur incapaces, cum omnia ea facere possint quæ sanis hominibus competunt ut hæreditatem adire d. l. 6. condere testamenta l. 9. C. qui test. fac. Unde nec morbo ipsorum si quid tunc admiserint, venia datur l. Divus 14. de offic. Præs. d.

70. Eadem in reliquis miseris personis quæ non sunt mentis compotes, de quibus videri potest Gædd. de contrah. stip. c. 7. concl. 9. juxta distinctionem perpetui & interrupti morbi obtinere perspicuum est. Omnes enim errore mentis

ris

tis ducuntur atque ab alienatum animi iudicium habent *Bargal. d. l. n. 22. Gædd. d. l. n. 114.*

71. Cumque prædictis non raro æquiparentur in iure ebrii & prodigi (quod de ebriis probat *l. un. C. si quis imp. maled. c. venter dist. 35. De prodigis l. furiosi 40. de R. 7. l. is cui 6. de V. O. l. certi 9. §. 7. de reb. cred. l. Fulcinius 7. §. 11. 12. ex quib. caus. in poss. Eberh. in Top. loc. à furios. ad min. Gædd. de contrab. stip. c. 7. concl. 10. Vant. de null. sent. ex inhabil.) idem, quod in prioribus, de iisdem statuendum videri posset. Et sanè ebrii, cum ignorare dicantur quæ loquuntur & sepul- ti jacere *c. sanè 15. q. 1. nec studiosè aut ex proposito sed impe- tu delinquerel. 11. §. 2. de pæn. prioribus adungi hætenus po- terunt, ut non censeantur dolum committere, nisi tamen af- fectata fuerit aut assidua ipsorum ebrietas; tum ut culpæ ali- cuius, quæ semper ebrietati inest, rei per agi possint arg. d. c. sanè & c. inebriaverunt. 15. quest. 1. Bargal. d. l. n. 20. & seqq. Clarus 5. sent. §. fin. quest. 60. num. 12. Menoch. de arbit. iudic. quest. c. 326.**

72. Prodigii autem quamvis quod administrationem bonorum attinet, integri sensus non reputentur; Unde nec contrahendo sicut pupilli obligantur; in cæteris tamen habentur pro hominibus sanæ mentis, adeoque ex delicto & dolo suo malo maximè si committendo is admissus fuerit, obligantur: Si enim omittendo quid contigerit, modo non eurrat contra jus naturæ vel gentium, in dubio non præsu- mitur dolum commissus, sed tanquam ex negligentia factum sit, reputatur *Barg. d. l. n. 35. & lib. 2. subdivis. 5. n. 39. Clar. d. l. n. 11. Gædd. d. l. concl. 10. n. 124. Eberh. d. l. n. 8. Id quod etiam in minore qui prodigo comparatur l. 3. C. de restit. in-TEGR. MIN. statui potest *fac. l. si ex causa 9. §. 2. & 5. de minor. l. 1. & 2. C. si advers. de l. Barg. d. l. 2. n. 57. 58.**

73. Præterea rustici in qualitate illa rusticanâ conside- rati, quamvis pari ratione ut furiosi & infantes dolum nescire dici nequeant; Unde in multis casibus dolum ac fraudem ipsorum etiam præsumunt leges, quos refert *Menoch. de arbit. quest.*

quest. cas. 194. n. 6. & seqq. Quia tamen quatenus simpliciter rei rusticæ operam navant & ruri à Politicis & aliis politioribus negotiis semoti vivunt, simplicitas quædam iis quasi innata videtur, fit ut pari censu quoad præsentem quæstionem in omnibus cum aliis non habeantur, adeoque extra quàm si quid contra jus naturale vel gentium vel contra jus civile notorium vel contra honestatem aut clam admiserint, in cæteris dolus in dubio non præsumitur. Hinc pœna album Prætoris corrumpentis *l. 7. §. 4. de jurisdicti.* item ante adhibitas quæstiones homicidarum testatoris sumtumque de iis supplicium, tabulas testamenti contra edictum Prætoris aperientis, cessat in rusticis *l. 3. §. 22. ad SC. Syllan.* Nec non aliis pluribus casibus iisdem subvenitur, qui videri possunt apud *Menoch. d. l. à n. 33. ad fin. Add. l. 1. §. ult. de Edend. l. 2. §. 1. si quis in jus voc. c. quoniam multos II. q. 3.*

74. Sed quid de mulieribus dicendum, an eæ habile omninò subiectum doli constituunt? Quod pluribus de causis affirmandum videri possit, cum natura dolosæ ac mendaces vulgo habeantur. Unde ipse Imp. quasi compertum habens eas toties dejerare, quoties jurejurando aliquid asserant vel pollicentur, ut perjurii occasionem tolleret, jusjurandum vetuit easdem præstare quod antea ab iisdem secundum Constitutionem quandam exigebatur *Nov. 94. c. 2. Nov. 22. c. 43. v. nos igitur.*

75. Veruntamen cum naturalis ratio & imbecillitas sexus, pro qua minus ausuræ creduntur *l. quisquis §. 3. C. ad l. Jul. majest.* simplicitatis conjecturam pro iis inducat, quam & antiquæ ll. respicientes, remediis in quantum potuerunt, juvarunt, quod ex *SC. Vellejano, l. un. C. de Rei ux. act. l. assiduis C. qui pot. in pign.* & aliis manifestum evadit, iis sanè casibus, quibus in dubio à viris dolus commissus præsumitur, eam in iis præsumtionem cessare rectius statuitur; licet si simpliciter quærat, an mulier doli capax sit eumque committere valeat, dicendum omninò sit, posse & valere. Et hoc tamen maximè in muliebribus rebus, velut in amore, procedet

D

in

in quo ut longè ferventiores sunt, ita ad dolos excogitan-
dum ingeniosæ; deque iisdem loquuntur etiam textus *in cit.*
Nov. ali que maximam partem qui dolum earum arguunt
Bargal. de dol. l. 2. c. 3. q. 2. & l. 3. c. 1. q. 6.

76. Ratione officii habentur Magistratus & iudices
boni & a machinationibus dolosis alieni arg *l. 2. C. de offic. civ.
jud.* Quo fit quod in iure iudex & vir bonus unum esse cen-
sentur *l. continuus 137. §. 2 de V. O. l. 4. §. 1 fam. erisc.* aded
ut eius præsentia etiam in aliorum negotiis faciat cessare præ-
sumptionem doli *Bargal. l. 3. c. 1. q. 9. n. 60. 65. & seq.* Quare
hactenus in censu habituum doli personarum numerabun-
tur. Quin tamen sapius fraudem committant tum poenæ
legibus comparatæ *l. ult. C. de poen. judic. qui mal. judic. l. ult. C.
ad l. Jul. repetund. l. 7. §. ult ff. eod. Gell. l. 20. cap. 1.* tum
famosæ iisdem sapius irrogatæ personæ *vid. Valer. Maxim. l.
6, cap. 3. in fin.* dubitare non patiuntur *Bargal. d. l. & cap. 9.
quest. 37.*

77. Sic & Principes à dolo ac fraude præsumuntur
abhorrentes ac alieni *Vant. de nullit. ex def. jurisd. deleg. n. 58.*
quia tales creduntur esse quales esse debent *arg. l. ex facto 43.
pr. de vulg. & pup. subst. l. si quando 35. C. de inoff. test.* Opor-
tet autem ipsos velut leges animatas existere terris *fac. Novell.
105. c. fin. n. 4.* & exemplaria virtutum, quorum nuda verba
tantum ad fidem valeant quantum privatorum hominum
iuramentum secundum Regis Alphonsi *ffatum.* Unde nec
damnum tertio inferre velle censentur & si concesserint
motu proprio privilegium in seculi alterius juris non videntur
velle illi præjudicare *arg. l. 2. §. 16. ne quid in loc. publ. c.
super eo extr. de offic. deleg. Panorm. in cap. causam extr. de
testib.*

78. Sed tamen nec omninò incapaces sunt cum simu-
lare ac dissimulare norint. Quod licet sine dolo malo etiam
fieri possit, si per ejusmodi dissimulationem quis deserviat
& tueatur sua vel aliena *l. 1. §. 2. h. t.* Quare ratione Ludovi-
cus

cus XI. Gall. Rex hoc unicum probè filium suum Carolum tenere voluit, ut sciret simulare ac dissimulare *Arnis. Polit. l. 2. cap. 5. Hillig. D. E. l. 15. cap. 40. lit. 1.* Quin tamen eo sæpius abuntatur & abusi fuerint, is qui historiarum monumenta & experientiam consuluerit, vix poterit ignorare.

79. Denique universitates, collegia, curiæ, societates dolo propriè & ut certa aliqua persona facere non possunt. *l. 15. §. 1. h. t. cum nec universi ita ut omnium voluntas æqualiter concurrat, consentire possint l. un. §. 1. de libert. univers. l. 1. §. fin. cum l. seq. de acquir. possess. Bach. ad Treutl. vol. 1. Diss. 10. thes. 4. lit. B.* Quo fit etiam quod ex communicationis sententia in universitatem jure Canonico proferri prohibeatur *c. Romam. de sent. excomm. in 6. Gaill. de pac. publ. l. 2. cap. 9. Menoch. de arbit. quest. cas. 598. num. 10. & seqq.*

80. Quod tamen non impedit, si quid communicato consilio ac deliberatione præcedente postea per Rectores aut majorem partem Universitatis nomine gestum fuerit & dolo commisso ex eo quid ad universitatem pervenerit, quo minus de eo conveniri possit *d. l. 15. §. 1. h. sicut & hac ratione Edicto quod metus causa, municipes, si quem intulerunt, metum tenentur l. 9. §. 3. quod met. caus. Bach. d. l.*

81. Et ergo quales esse oporteat qui dolum propriè committant aut committere præsumantur ex dictis liquet. Nunc quodnam objectum dolus hic habeat seu quibus in rebus maximè admittatur, ulterius videndum erit.

82. Admittitur vel in contractibus vel extra eos in cæteris actibus variè *Wesemb. Par. C. de dol. num. 3. Zas. ad h. t. num. 10. & seqq.* In contractibus dolo fieri omnibus potest, sive sint nominati sive inominati, sive b. f. sive stricti juris & ideò in omnibus dolus præstandus venit *fac. l. si ut certo §. 2. Comm. l. 23. de R. 7. Duar. ad t. Comm. c. 8.* ita ut expressa conventionem remitti nequeat ne is præstetur *d. l. 23. l. si unus 27. §. 3. de pact. l. 1. §. 7. de pos. l. 17. pr. commod.*

83. **Committiturque vel dando causam vel in eosdem incidendo.** Causam dare dicitur, cum per eundem aliquis propositum vel animum alienandi, contrahendi, promittendive non habens ad hoc ut animum alienandi, contrahendive sumat remque alienet aut contrahat, inducitur *arg. l. 7. prohib. si in hoc ff. b. t. & gloss ib. Gæd. de contrah. stip. c. 3. num. 112. Zas. in l. 12. de O. & A. n. 4. & t. Inst. de act. §. actionum n. 44. 45.* Incidere dicitur, cum qui aliàs negotium gesturus erat in eo conficiendo obiter & incidenter circumscribitur *arg. d. l. 7 §. 3. b. t. l. 13 §. 4. de act. emt. Gædd. d. l. n. 113. Zas. dd. ll.* Pro quo diverso verlandi circa cōt. actus modo diversos quoque producit effectus; qua de re infra ubi de effectibus doli agetur, dicendum erit.

84. Extra contractus admittitur in ultimis voluntatibus, in legibus, rescriptis ac statutis inque judiciis *l. 1. §. fin. de except. dol. Barg. lib. 3. c. 2. n. 1.*

85. In ultimis voluntatibus si committatur dolus contingit illud aut circa primariam partem, heredis scilicet institutionem *§. ante heredis 34. Inst. de legat.* aut circa minus principalia veluti legata aut fidei commissa. Circa utrumque commissi doli exempla variè occurrunt.

86. Ac committitur circa prius quidem vel ab ipsis testatoribus, veluti si parentes malignè iudicium circa sanguinem suum inferant *l. non est 4. de inoff. testam.* Vel ab heredibus, ut si Titius heres institutus cognoscens testatorem velle testamentum mutare ac alium instituere, dolosè faciat, ne mutare possit vel decipiendo notarium vocatum ad confirmationem testamenti, vel ipsum testatorem affirmando non adesse testes qui accedere velint, vel aliud quicquā machinādo fraudulenter *l. 2. pr. si quis aliq. test. prohib. l. Lucius 88. §. 4. de leg. 2.* Vel denique à tertio, veluti si Titius me fecisset heredem in suo testamento & volens postea mutare testamentum dolo Mœuii sit prohibitus. Quo casu quatenus noceat ei ad eius favorem est adhibitus dolus *vid. Bargal. l. 2. sub¹ divis. dol. 6. q. 24. & lib. 3. c. 7. q. 13. n. 70.*

87. Circa

87. Circa posterius siue legata similiter aut ab ipso testatore committitur dolo; ut si in fraudem creditorum leget aut fidei committat *l. 44. §. 7. de leg. 1. l. 15. quæ in fraud. cred. l. 7. qui & à quib.* Aut ab herede qui legatis est oneratus rem legatam deteriorando vel extinguendo, aut alio dolo malo transferendo *l. cum res 47. pr. de leg. 1.* Aut ab ipsis legatariis, ut si is, cui supra modum *l. Falcidiæ* legatum erat, heredi adhuc ignoranti substantiam hereditatis ultrò jurando vel quadam alia fallacia persuaserit, tãquam satis abundeque ad solida legata solvenda sufficiat hereditas, atque eo modo solida legata fuerit consecutus *l. 23. h. t. aliisque modis conpluribus;* De quibus videri poterit *Bargal. de dol. l. 3. c. 8.*

88. In legibus à statutis intervenit quoque dolus dupliciter; Vel enim committitur in lege vel contra legem. In lege dicitur committi dolus, si condendo ac statuendo à conditore legis non tam publicum bonum, ut legislatorem decet, quàm privatam ac propriam commoditatem attendente, quicquã dolosè sanciat, siue id fiat immediatè ab ipso legislatore, siue mediatè à consiliariis pro commodo suo aut privato odio ad leges figendum ac refigendum inducentibus *arg. c. nullus 62. de reg. jur. in 6.* Cujus rei exemplum ponit *Bargal. l. 3. c. 12. n. 8. 9.* in statuto quodam Spoletensi. Quamvis hoc casu, ex sententiâ Platonis dolus etiam incidat in crimen homicidii, vel etiam veneficii aut idololatriæ, referente *Bargal. d. l. n. 17.*

89. Contra legem dolus, qui in jure fraudis nomine hoc casu maximè venit & appellatur *arg. l. 30. de ll. §. ult. Inst. de his qui sui vel al. jur. Barg. de dol. l. 5. c. 3. n. 33* committitur, quando contra juris sententiam sæva prærogativa verborum se quis fraudulentè excusatum it *l. 5. C. de legib. d. l. 30.* siue scrupulosis & excogitatis artibus vigorem legis eludere festinat *l. ult. §. 2. C. de adjector.*

90. Quod quadrifariam potissimum evenire potest. Vel enim fraus fit de re ad rem, ut si quis filio fam. frumentum vinum vel oleum mutuo det, ut his distractis pecunia uratur

l. item si 7. §. mutui ad SC. Maced. Vel fit de persona in personam, ut si prohibiti majores usuras stipulari alios medios subjiciant, quibus hoc non ita interdictum est *l. eos qui 26. in fin. C. de usur.* Vel de contractu ad contractum, ut si maritus ad hoc ut uxori donare possit, venditionem comminiscatur *l. si sponsus 5. §. 5. de don. inter vir & ux.* Vel de quantitate ad quantitatem, ut si libertus minorem se centenario in fraudem legis faciat *l. si libertus 16. de jur. patron. gloss. in l. 29. ff. de legib. Zas. ad d. t. n. 9. Gothofr. ad l. 5. C. de legib. Bargal. l. 3. c. 13. n. 7. & seqq.*

91. Similiter rescripta (quæ sunt à Principe ad consultationem, relationem seu intimationem alicujus factæ vel ad lites quæ justitiæ dicuntur, vel ad beneficia, quæ gratiæ *Menoch. de arb. quest. c. 201 pr. dispositiones Bargal. d. l. c. 15 n. 1.*) subjacent fraudi atque dolo; Qui venit in ea vel tacendi fraude quod obreptionem vocant vel falsi narratione quod subreptionem *vid. l. 2. C. si cont. jus.* Quamvis hæc duo verbalia inter se non differre sentiat *Menoch. d. l. n. 10. & 14. juxta l. 1. C. si nupt. ex rescript. pr.* nec ex jure aut aliis probatis autoribus discrimen posse demonstrari.

92. In judicio denique variè intercedere dolus potest in omni ejus parte; Quæ quatenus totam illam tractationem actoris, rei & judicis designat, tres possunt constitui; Prima à citatione usque ad litis contestationem inclusivè; Altera à litis contestatione exclusive usque ad conclusionem in causa inclusivè; Tertia à causæ conclusionem usque ad sententiam definitivam inclusivè. Singulis partibus plures insunt actus veluti primæ citatio, libelli oblatio, interrogatio, exceptio dilatoria &c. Alteri Dilatio seu terminus ad probandum, confessio, testium aut instrumentorum productio &c. Tertiæ sententia & executio, qua de re videri potest *Marant. de ord. judic. p. 6, Schneidw. t. Inst. de pæn. tem. litig. ad §. omnium.* In quibus omnibus multifariam à personis in judicio intervenientibus veluti iudice, actore, reo, cæterisque; hisdem subservientibus, ut advocatis, procuratoribus, syndicis aliisque; dolus
com

committitur, quemadmodum pluribus exponit *Barg. l. 3. c. 9. in suo tract. de dolo*: de cuius etiam objecto tantum dixisse sufficiat.

93. Finis huius doli est captatio maxime lucri *l. 8. b. t.* Cuius proinde avertendæ & inhibendæ causæ Prætor Edictum de dolo malo proposuit *l. 1. b. t.* Quam etiam adeo intendi manifestum est, ut subesse toties putetur dolus, quoties ex aliena jacturâ lucrum quaeritur *l. si quis 17. §. pen. de instit. act. Wes. Par. C. de dol. n. 3.*

94. Sequuntur jam effectus; qui in triplici potissimum differentia considerari possunt. Aut enim producit dolus remedium aliquod quo deceptus suum servare potest, quod ab actione doli tamen est diversum; aut ejusmodi remedio deficiente actionem doli producit; aut verò inducit quandam pœnam veluti annullationem actus aut privationem commodi vel simile quid quod dolosus tanquam in fraudis commissæ pœnam cogitur sufferre *Bocer class. 3. Diss. 6. th. 56.*

95. Remedium illud à doli actione diversum est vel actio aliqua, vel interdictum, vel restitutio in integrum vel exceptio aut replicatio; quibus competentibus actio de dolo non datur *Boc. d. l. th. seq.*

96. Si igitur in contractu admissus dolus sit eoque bonæ fidei, ac dolus non quidem causam dederit sed duntaxat in eum inciderit actione ex illo contractu descendente emendatur; veluti actione emti ac venditi, si alteruter contrahentium in emtione ac venditione deceptus sit *l. 7. §. 3. l. 9. pr. l. 18. §. 3. b. t. l. 13. §. 4. 5. de act. emt. actione mandati, si in mandato alter ab altero circumventus sit l. si procuratorem 8 §. ult. ff. mand. commodati si in commodato l. 17. §. 3. commod. Bocer. d. l. thes. 54.*

97. Similiter si in contractu etiam stricti juris dolus intervenerit actio de dolo aliquando cessat, si scilicet de dolo expressè cautum sit *l. 1. §. 4. in fin. b. t. l. 7. §. 3. eod. l. ita de mun. 31. de recept. arbitr.* Solet enim in contractibus maxime stricti juris subijci clausula doli mali, qua promittitur nihil dolo malo in ea re faciendum esse sive dolum malum abesse.

abesse abfuturumque esse *l. 110. l. 135. §. fin. l. 38 §. 13. de V. O. l. 69. de V. S.* De cuius clausulæ natura & effectibus pluribus videri potest *Barg. de dol. l. 3. c. 5.* Ex ea autem competit non de dolo actio sed ex stipulatu, qua circumscripto res salva præstatur *l. 4. §. 16 de except. dol.*

98. Sic quoque si sit actio aliqua pœnalis quæ sufficiat rei servandæ non doli sed illa datur *l. 7. §. 1. & 4. h. t. Cujac. ib.* Ut & si popularis veluti in factum de effusis aut dejectis, aut de albo per dolum corrupto *l. 5. §. 5. de bis qui dejec. l. 7. de juris. dict. competat l. 7. §. 2. h. t.* Quamvis enim popularis actio publica dicatur eò quod omnibus pateat *Cujac. ad l. 7. §. 2. h. t. Gothofr. ad l. 1. de popul. act. publicæ* autem criminales de dolo actionem non excludant aut tollant *l. 9 §. 2. h. t. & ib. Gothof. l. un. C. quand. civil. caus. Meier. Coll. Argent. h. t. th. 75.* Dictæ tamen populares actiones quæ publicæ quidem sed civiles seu pecuniariæ sunt, eisque similes, ut sepulcri violati, apertarum tabularum ante quæstionem familiæ *l. 3. §. fin. ff. sepul. viol. l. 25. §. fin. ad SC. Syllan.* eam faciunt cessare *Cujac. & Gothofr. dd. ll.*

99. Præterea interdicto dolus admissus vindicatur, eoque si quis experiri possit, doli actio excluditur *l. 1. §. 4. b. t.* Nec non si quis in integrum restitui possit *l. 1. §. 6. b. t. l. 7. §. 1. de in integr. restit.* Unde si creditor deceptus Aquiliana stipulatione & acceptilatione liberavit debitorem, major quidem annis viginti quinque de dolo habebit actionem. Nec enim restituitur, cum circumscriptio restituendi actionem, amissam majoribus satis justa causa esse non videatur *Duar. ad t. de dol. c. 1.* Minor autem in integrum restituetur, cessabitque adeo actio de dolo *l. quidam debitor 38. h. t.*

100. Quandoque etiam exceptio competit decepto, qua cum plenè provisum est ei actio de dolo excluditur *l. 1. §. 4. b. t. Cujac. ib.* Ut si quis deceptus dolo stipulanti quid promisit & stipulator actione adversus promissorem consistat, aut creditor hereditarius dolo heredem inducat ad adeundam hereditatem damnosam ipseque creditum postea petat *l. ult.*

l. ult. b. t. His enim casibus quia sufficit exceptio doli per fraudem laesis resque salva praestari potest, ad actionem doli non recurritur. Quod si non sit ut si v, g. in posteriori casu, plures creditores sint, à quibus si conveniatur, exceptione doli omnes repellere non possit, adeoque jus suum hoc pacto deterius redditum sit, actione doli eidem subveniri æquum est *d. l. ult. ib. & solus erat. Bargal. de dol. l. 4. c. 2. q. 20.*

101. Sic & dolo deceptus replicatione interdum uti potest, ipsaq; actionem doli cessare facit; ut si cum à te pecuniam peterem eoque nomine iudicium acceptum fuerit, falsò mihi persuaseris, tanquam eam pecuniam servo meo aut procuratori solvisses, eoque nomine à me consecutus sis ut consentiente me absolvereris, ex integro tecum agere possum & si objiciatur exceptio rei iudicatæ, replicatione doli repello *l. 25. b. t.* Aut si creditor recepturus à debitore, statim pecuniam pignus eidem reddiderit & cum is non solveret, actione pignoratitia contraria egerit, excipiente debitore de pignore reddito, de dolo & fraude replicat *l. 3. de pignor. act. adde l. sub pretextu 19. l. sive apud acta 28. C. de transact.*

102. Quin si ejusmodi aliquod remedium non adversus eum qui decepit sed contra quem alium competit & res dolo deperdita ab eodem potest servari, nec doli actio adversus eum qui decepit, datur *l. 1. §. fin. l. 2. 3. 4. 5. b. t.* ut si quis pupillus à tertio tutore autore colludente sit circumscriptus, nec possit in integrum restitui, veluti si circumscriptus in servo manumittendo sit *l. 9. §. fin. C. de minor. t. t. si advers. lib. Pac. 2, antin. q. 77. Cujac. in l. 1. b. t.* non habet adversus tertium de dolo actionem, quia sufficit actio tutelæ, per quam potest consequi quod sua interest *d. l. 15.* Ita tamen si tutor solvendo sit; Hoc enim si non sit, de dolo actio in tertium dabitur, cum inanis sit actio, quam excludit inopia debitoris *l. 5. 6. b. t.*

103. Quod si etiam dolo circumventus aliam habuerit quidem actionem, ut puta redhibitoriam sed factò aut ne-

E

gli-

gligentia sua amiserit eam, cessat de dolo actio; sibi enim imputare debet, quod non egit maturius. Sed si in amitenda ea dolum fuerit passus & ipse tamen nihil diligentiae in intentanda illa intermiserit, nihil est quod sibi imputare debeat; quare in integrum restituitur; aut si diligens satis non fuerit in procedendo ad agendum redhibitoria, cum restitui non possit, propterea quod non negligentibus sed necessitate rerum impeditis ita subveniatur, actione de dolo poterit uti *l. 1. §. 6. & ib. gloss. h. t. junct. l. ab hostibus 15. in fin. cum l. seq. ex quib. caus. maj. Barg. l. 4. c. 1. n. 134.*

104. Et ergo his praecipue modis, actionibus ac remediis dolum passo res salva praeter actionem de dolo praestari potest, quibus proinde cum locus est non nisi improbus Praetor ad illam ut famosam ac subsidiariam descendit *l. 7. §. 1. de in integr. restit. l. 1. §. 4. h. t.*

105. Nec etiam exceptionem in actione quod metus causa ita statuimus, ac si ea cum actione de dolo simul competat. Sed si metum passus alleget metum nulla facta doli mentione, dabitur actio quod metus causa, non etiam de dolo, quamvis dolus admissus fuerit; Si vero de dolo experiri velit, poterit hoc allegare & contendere rem dolo sibi ademptam esse, tuncque dabitur de dolo actio. Nec enim ei competet de metu actio cum eum non alleget. Unde alterutra electa tollitur altera exceptione in factum opposita *l. 14. §. 13. quod met. caus. Duar. h. t. c. 1.*

106. Sic & actionem praescriptis verbis ex articulo facio ut des cum ea concurrere negandum censemus *l. 5. §. 3. de praescript. verb. l. 16. §. 1. eod. l. cum proponas 4. C. de dol. Trent. vol. 1. Diss. II. th. 6. lit. e.* Ut & conditionem indebiti in casu *l. 23. h. t. Cujac. ibid.* Nec admittimus concursum actionis mandati in *l. 1. C. h. t. Cujac. 3. observ. 37.* Nec actionis ex stipulatu in *l. 19. h. t. Hillig. D. E. l. 15. c. 40. lit. aa.* Planè si quis honestius cum adversario configere velit & actione doli omissa in factum subsidiariam intendere, licebit, eaque hoc quoque pacto cum actione doli concurrere dicetur *l. verum 11. pr.*

ii. pr. de minor. l. cum reus 14. de fidejuss. Cujac. in l. 1. b. t. Duar.
d. l. & in l. 7. §. ideo de pact. Bocer. d. l. th. 64. Mejer. colleg. Ar-
geni. b. t. th. 74.

107. Hæc de primo doli effectu; sequitur alter, actio
nimirum doli. De qua visuri de origine ejus præmittimus,
quod cœperit dari postquam C. Aquilius Gallus de dolo ma-
lo formulas protulit. Ante enim quibusdam tantum casibus
dolos coercitus legitur; primò quidem ex 12. tab. in tutela;
Deinde circumscriptis adolescentibus ex l. Lætoria; tum sine
lege in judiciis quibus, *Ex bona fide*, addebatur *Cic. 3. offic. Wes.*
Par. b. t. n. 1. Sed quia præterea variis modis maxime inva-
lescente malitia dolo homines lædi continebat, quod mi-
nimè ob cognationem, quam inter eos constituit natura,
conveniebat fieri l. 3. de justic. & jur. Gallus ille Aquilius, ut
dictum est, Prætor Ciceronis ætate æquissimus ejusdemque
collega *Cic. d. l.* generales de dolo malo coercendo formulas
protulit, quarum summa deinceps in Edictum perpetuum re-
lata certissimum existit omnium malitiarum everriculum
Cic. 3. de nat. Deor. Wes. d. l.

108. Diximus Gallum Aquilium Prætozem de dolo for-
mulas protulisse; Unde colligitur hæc doli actionem prætoriã
esse, quæ etiam anno propterea utili olim tantum vivebat more
aliarum prætoriarum actionum *pr. Inst. de perpet. & temp. act.*
l. 35. de O. & A. l. ult. C. de dol. Idemque manifestum evadit
ex multis aliis locis, quibus ex Edicto Prætoris innuitur de-
scendere ut in l. 1. pr. §. 3. 4. l. 9. §. 5. l. 16. b. t. Barg. l. 4. c. 1. n. 35.
Wes. Par. C. de dol. n. 3. Vultej. §. præterea Inst. de act.

109. Et est personalis §. præterea *Inst. de act.* non in rem
etiam ut actio quod metus causa scripta l. 9. §. fin. quod met.
caus. & ib. Cujac. Unde dolo cujus factum sit designari in illa
quidem oportet, quod in metu non necesse est l. 15. §. fin. b. t.
ubi, quia justam in se ignorantiam habet, meritò quis non
adstringitur ut designet, quis ei metum vel vim adhibuerit
l. item si 14. §. 3. quod met. caus. Duar. b. t. c. 2. Wes. Par. b. n. 7.
Trenti. vol. 1. Disp. 11. th. 5. lit. a. Hillig. D. E. l. 22. c. 6. lit. 1,

110. Nec officit quod verba Edicti, eodem modo ut
in actione quod met. caus. in rem concepta sint *l. 1. pr. b. t.*
Tum quod hæc doli actio etiam in alios quàm qui dolum
commiserunt veluti heredes ac cæteros successores de eo
quod ad eos pervenit detur *l. si plures 17. §. 1. b. t.* Etenim an
actio aliqua in rem scripta vel non sit, de eo, non tam ex illa
nuda verborum conceptione quàm ex natura & qualitate ac-
tionis statuendum videtur. Et quod hæc actio datur contra
eos ad quos ex dolo pervenit aliquid, non sub eadem quali-
tate adversus eos datur qua contra ipsum dolosum, nec, si
ita loqui liceat, integra sed magis sub ratione & modo actio-
nis in factum ut turpe lucrum auferatur, quemadmodum in
omnibus ex delicto actionibus obtinet, quas tamen minus
rectè inde in rem scriptas appellaveris; secus est in actione
quod met. caus. quæ perinde ut adversus ipsum qui metum
intulit, adversus tertium possessorem conceditur *d. l. 14. §. 3.
in fin. l. 9. §. fin. eod. junct. l. 28. cum seqq. duab. b. t. Bachov. ad
Trentl. vol. 1. disp. II th. 6. lit. C.*

III. Sed & arbitraria est hæc actio *§. præterea Instit. de
act.* in qua arbitrio judicis restitutio comprehenditur *l. arbi-
trio 18. pr. b. t.* cujus proinde faciendæ atque ita condemna-
tionem evitandi usque ad sententiam habet reus facultatem
arg. l. 14. §. 1. & 4. quod met. caus. Quod si verò restitutionem
facere distulerit, sententiæque expectâriteventum, sequitur
condemnatio, quanti res est, cujus æstimatio jurijurando in
litem actoris, sed taxatione officio judicis refrenando com-
mittitur *d. l. 18. pr. b. t. Wes. Par. b. t. n. 7.*

112. Condemnationem fieri quanti ea res est dicimus,
non ad quadruplum crescere in contumacem. In quo differt
ab actione quod met. caus. quæ si res non restituatur quadru-
pli condemnationem habet *l. 14. §. 3. quod met. caus.* Quod
factum videri potest ob existimationis jacturam qua præter
refusionem damni dolo illati plectitur de dolo malo ac frau-
de suo nomine damnatus *l. 1. de his qui not. infam. l. 11. §. 1. b. t.*
quam non sufferre cogitur de metu condemnatus *gloss. in l.*

14. §. 13. *quod met. caus. Bargal. l. 4. cap. 1. n. 129.* qui tantum pœnam tripli l. 14. §. 10. 11 *d. t.* atque ita jacturam bonorum, quæ nominis ac famæ amissione levior censenda est, sustinet *Wes. Par, d. l.*

113. Cessat tamen aliquando in hoc judicio jussus & arbitrium judicis. Quid enim si manifestum sit rem restitui non posse? ut si servus dolo malo traditus defunctus aut res alia perempta atque amissa sit. Itaque protinus condemnatur reus in id quod actoris interest l. 18. §. 1. *b. t.* Quod tamen interesse si rei dolo perierit, æstimatur quoq; jurejurando actoris in litem l. 2. §. 1. *de in lit. jur.*

114. Præterea si aliud aliquod damnum præter rei corporalis amissionem, datum, sive res incorporalis deperdita, sit, veluti si dolo alicujus sit effectum, ut lis temporibus legitimis transactis pereat; Trebatius ait de dolo dandum judiciũ, non ut arbitrio judicis res restituatur; Hoc enim pacto laesus restituendus esset ad tempus dolo alterius transactum contra legem quæ ita circumscriberetur; sed ut tantum actor consequatur, quanti ejus interfuit, dolo adversarii se non fuisse deceptum *d. l. 18. §. pen. b. & Cujac. ib. qui addit cas. l. 24. eod. Mejer. Colleg. Argent. b. t. th. 54. Barg. d. l. 4. c. 1. q. 11.*

115. Datur hæc actio circumscriptis & damnum passis quibus subvenire Prætor voluit, ne simplicitas iis nocere possit l. 1. *pr. b. t.* Ut & heredibus ipsorum l. *heredibus 13. pr. b. t.* Et enim actiones ex delicto pœnales, maximè quæ non tam vindictam quàm interesse persequuntur, ut hæc doli, ex parte agentis in heredes quoque transeunt §. 1. *inst. de perpet. & temp. act. & ib. Schneidw. add. l. 4. §. ult. cum trib. seqq. ll. ff. de alien. judic. mut. caus.*

116. Et competit adversus varios ac dolosos qui aliis calliditate sua offuerunt l. 1. *pr. b. t.* veluti contra dolosè donantem rem alienam, si postquã donatarius magnos in rem donatam sumtus fecerit evincatur l. 18. §. *fin. de donat.* aut permittentem aliquod in suo fieri ad utilitatem alterius, & post sumtus in rem factos prohibentem l. 34. *b. t.* aliosque

E 3

qui

qui quavis fraudulenta & abscondita machinatione alterius decipiendi causa quicquam tentant ac faciunt.

117. Nec non contra eos, qui dolum quidem non fecerunt, sed tamen rem vel utilitatem rei dolo interversa perceperunt, conceditur, veluti contra heredes & cæteros successores; qui tamen inde tenentur tantum quatenus ex ea re locupletior ad eos hereditas pervenit *l. 17. §. 1. l. 26. h. t.* Nam sanè iniquum esset ulterius quenquam ex alieno admissio sorti subijci, & alieni quasi criminis successorem constitui *l. crimen 26. de pæn.* Quod contingeret si ultra tenerentur, quàm ad eos pervenit, ubi omne, quod extra id, in quo locupletiores facti sunt, in persona eorum pro pœna esset. Quo pœnali actionis genere, quia heredes conveniri non solent *l. 1. de priv. delict. l. un. C. ex dol. defunct. l. 9. §. fin. cum l. seq. de reb. aut. jud. poss. idè & hic meritò cessat Wes. par. h. t. n. 9.*

118. Et hoc, si dolo malo ac fraude non desierint possidere; secus enim si factum sit, quia pro possessione dolus est *l. qui dolo 131. de R. J. paremque oportet conditionem esse, (ratione scil. incommodorum Dynus de reg. jur. in 6. reg. 36. n. 3)* illius, cujus dolo malo factum est, quo minus habeat ac possideat, atque ejus qui possidet & habet *l. parem 150. de R. J.* ideo pro possidentibus ipsis, ut Paulus *d. l. 131.* loquitur, damnantur, stringiturque in eos actio doli, non sub qualitate actionis in factum, uti fit extra casum commissi ab ipsis doli, sed de dolo actio integra *l. 31. de pecul. l. furti 6. §. pen. de his qui infam. not.*

119. Nec tamen passim & indiscretè, utut generaliter edictum contra dolosos ac varios conceptum reperiat, hæc actio indulgetur *l. 9. §. fin. h. t.* Quemadmodum & aliæ quædam actiones passim non conceduntur, ut furti inter conjuges *l. 1. ff. rer. amot.* & actio injuriarum inter quasdam personas *l. 32. §. seq. de injur.* Quare causæ cognitione aliqua opus est *d. l. 9.* in qua potissimum quatuor vertuntur, res scil., persona, tempus & causa *fac. d. l. 9. cum seqq. Bargal. l. 4. c. 1. num. 103.*

120. Circa rem hoc attenditur, ne modica sit, i.e. ne minus duobus aureis valeat *d. l. 9. in fin. cum l. seq.* Cum enim hæc actio famosa sit, non putavit congruum æquitati Prætor passim & ob rem ita vilem famæ quemquam jacturam pati. Cujus Prætorum rationem habuisse manifestum sit *ex l. 7. §. fin. l. 11. §. 1. l. 29. b. r.*

121. Quamquam furti actio quæ similiter infamiam ex ea damnato irrogat *l. 1 de his qui not. infam.* pro re minima ut gallina, anseri detur *§. gallinarum Inst. de R. J. l. 5. §. 6. de A. R. D.* Quod ob id fieri existimari poterit, quod eam, ut ita loquar, extraordinarietatem non habet, quam actio doli, quæ etiam respectu extraordinarii remedii deficientis q. extraordinaria est & subsidiaria *fac. l. 7. §. 1. de rest. in integr. Bargal. l. 4. c. 1. n. 81.* Cum itaque nec in extraordinariis illis simplicibus remediis minima soleant attendi *arg. l. scio 4. de in integr. restit.* multo magis & rectius in hoc maxime extraordinario negliguntur, *vid. Trentl. vol. 2. disp. 30. th. 1. lit. C.*

122. Quoad personam habetur ratio ejus, ne concedatur ista actio tanquam famosa contra personas, quibus de jure reverentia & honor debetur, utpote ne detur liberis contra parentes, aut libertis contra patronos. Sic nec humili adversus eum, qui dignitate excellit, tribuitur, puta plebejo adversus consularem receptæ autoritatis, vel luxurioso atque prodigo aut aliàs vili adversus hominem vitæ emendationis *l. 11. §. 1. b. r.*

123. In horum ergo personis in factum verbis de dolo temperandam actionem monet Jctus *in d. l. 11.* injecta mentione bonæ fidei, per quam tanquam medium concludatur & condemnatio fieri petatur. Cujusmodi formulam *ex Cic. 6. ad Attic. 1. Mejer. Coll. Argent. b. 1. th. 67.* refert hanc: Ajo negotium ita gestum esse, ut eo stari non oporteat ex bona fide.

124. Atque temperata hoc modo verbis b. f. actione infamiam quidem juris parentes & patroni evitant, cum de jure non habeantur infames ita condemnati, re tamen ipsa & opinione hominum non effugiunt infamiae notam *arg. l. 2. de*

de obsequi. à lib. prest. Barg. d.l. 4. § i. n. 90. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 11. th. 13. lit. A.

125. Quo factum videri potest, quod Imp. Justinianus in *l. ult. C. qui § advers. quos* & omnem omnino restitutionem ac querimoniam contra parentes ac patronos, & sic hanc quoque doli actionem restitutoriam, utut verbis b. f. temperatam inhibet. Quamvis enim *Dd.* communiter *d. l. ult.* ad restitutionem quæ fit officio judicis & beneficio ætatis restringant; quia tamen major aut certè æqualis ratio est inhibendæ restitutionis, quæ fit jure actionis; Etenim considerandâ hac in re maximè est reverentia personis illis debita, quæ magis læditur instituta actione tali restitutoria, utpote in personam directa quàm implorato officio judicis quod in rem est; Idcirco nec tali restitutione quæ fit jure actionis verbis licet in factum temperatis filio vel liberto contra parentem patronumve succurrendum videtur, ac *d. l. non debet. u. h. t. per l. illam ult.* ut quæ ex novis illis decisionibus Codici post primam ejus editionem insertis juriq̃ue antiquo plerumque detrahentibus est, derogatum esse dicendum *Duar. ad t. C. qui § advers. quos c. 2. Bacchov. d. l.*

126. Accedit quod ratio qua utitur Imp. in *d. l. ult.* quod scil. hæ ipsæ personæ procul dubio cauturæ sint, ne quid opinioni suæ contrarium existat, præcipuè ad restitutionem ex capite doli accommodari possit; tum quod distinctio illa, an minor ex simplicitate deceptus proponatur, an verò dolo patris vel patroni circumscriptus, expressè ibidem rejiciatur, & quod non attentâ illâ existimatio parentibus ac patronis illibata manere debeat, statuitur, cum utique posteriori casu intervenientis doli actioni illi in factum locus esse deberet. *Bach. d. l.*

127. Quæ omnia ita obtinent in parentibus ac patronis: In cæteris autem personis, quibus extra modo dictas reverentiam quoque deberi notatum est, hoc singulariter reperitur inductum, quod qui pro actione doli adversus ipsas debent actione in factum experiri, possint illâ dimissâ implora-

rare auxilium restitutionis in integrum, quemadmodum expressum est in *l. patri pro filio 27 §. fin. de minor.* Ubi quod de personis speciali lege exceptis subijcitur de parente ac patrono secundum illam *l. ult. exaudiri poterit gloss. ad d. l. 27. Bargal. d. l. n. 90.*

128. Prædicta etiam coarctantur ut non habeant locum in earum personarum heredibus ob cessantem scilicet rationem reverentiæ ut & infamiæ, cum non conveniantur nisi in quantum ad eos pervenit, adeoque calculi potius quam fraudis infamiam inducentis habeatur ratio *l. Sabinus 29 b. t. Barg. d. l. n. 91.*

129. Similiter cessant in fratre, ut tali, cui licet affectio debeatur & amor, non tamen reverentia, ratione cujus actionem doli prohiberi dictum est; Unde nec personis exceptis in *d. l. non debet*, annumeratus invenitur *vid. l. 32. b. t. Barg. d. l.*

130. Sed in personarum cognitione attenditur ulterius, an in pupiliari ætate contra quem actio decernenda est, sit constitutus & pro suo ne talis an pro tutoris dolo conveniatur. De dolo enim proprio non facile & nisi proximus pubertati sit, non pulsatur & arguitur pupillus *l. 13. §. 1. b. t.* Nec dolus tutoris ipsi obesse poterit modò nihil ex fraude ejus ad eum pervenerit aut locupletior factus sit *l. dolus tutoris ff. quando ex fact. tut. l. 15. pr. b. t.* Hereditario autem nomine more aliorum heredum convenitur *d. l. 13. Duar. b. t. c. 2. Cujac. ad d. l. 13. b. t.*

131. Ex dolo etiam procuratoris si quid ad dominum pervenit, dabitur de dolo in dominum actio, in quantum ad eum pervenit. Procurator autem ex dolo suo in solidum & etiam si nihil ad eum pervenit, tenetur *l. 15. §. 2. & ib. gloss. b. t.*

132. Quod idem si de doli actione adversus Universitatem concedenda quærat, in considerationem venit. Non enim ulterius nisi quantum ex dolo eorum, qui res ejus administrant, percepit, hoc iudicio obligatur. De dolo au-

F

tem

tem rectorum sive administratorum in ipsos rectores sive administratores datur de dolo in solidum actio *l. 15. §. 1. b. t. & gloss ib.*

133. Consideratur quoque quoad personas, unus sit an plures qui dolum commisisse dicuntur. Tenentur enim plures si dolo fecerint omnes. Sed si unus praestiterit rem aut solverit interesse per iuramentum in litem, ceteri cum nihil amplius intersit, liberantur *l. 17. pr. b. t. & ib. Accurs. l. 1. §. 4. de eo per quem fact. l. 3. pr. si mens. fals. mod. Bocer. d. disp. th. 71. Barg. d. l. 9. 18.*

134 Denique si duo dolo malo fecerint actio de dolo non decernetur nec invicem de dolo agent *l. 36. h. l.* Dolus enim cum dolo compensatur *per l. 3. §. pen. de eo per quem l. domum 57. §. fin. de contrab. emt.* Et carere debet omni vitio qui in alterum dicere paratus est *Cic. in Sallust.* Quomodo vero & quando in negotiis dolo compensatio locum habeat deque pleniori d. reg. intellectu *vid. Bargal. l. 6. de dolo reg. 15.*

135. Quoad tertium, quod in causae cognitionem venit, tempus scilicet, inspicitur, statutumne actioni doli tempus effluxerit? Nec enim post illud elapsum Praetor dolum malum objici patitur *l. quaesitum est 30. §. pen. de pecul.* Unde in libello hodie commissi doli diem exprimendum monent, quo an transactum praefinitum tempus sit, appareat, *Bargal. l. 4. c. 1. n. 109.*

136. Et est illud de jure quidem veteri annus utilis ex die quo quisque admissum dolum didicit, computandus *ult. C. h. t.* Hodie ex constitutione Constantini continuum biennium, ex die quo adseritur commissus dolus numerandum, sive abfuerit sive praesto sit is qui dolum se passum queritur. Post illud igitur neque incipiendae actionis doli neque ante completum biennium coeptae, post biennium vero finiendae concessa est licentia *l. ult. C. de dol.* Quare nec lite contestata perpetuatur *gloss. & Dd. in d. l. ult. & in l. 28. §. 1. b. t. Wes. Par. h. t. n. 8. Cuiac. in l. 17. h. t. Bocer. d. Disp. th. 74.*

137. Quod in odium istius actionis constitutum videri

109

poterit & maximè quia dolum passio per actionem in factum perpetuo i. e. usq; ad 30. annos *fac. pr. Inst. de perpet. & temp. act.* prospectum est *l. 28. in fin. h. t. & gloss. ib.* Cum enim nemini suus dolus per occasionem juris civilis prodesse debeat *l. 1. §. 1. de except. dol.* aut malitia lucrosa *l. 1. pr. h. t.* perpetuo de eo in quo locupletior factus esset teneri dolum voluerunt leges *Wes. Par. h. t. num. 8.* Quamvis dolosi conditio hoc casu melior fiat & quasi compensatione facta pro eo quod perpetuo tenetur infamiae notam evitet *l. 28. 29. h. t. Duaren. h. t. cap. 4.*

138. Quod & in heredibus observatur qui cum similiter de eo tantum quod ex dolo defuncti habent & sub ratione calculi potius quam maleficii *d. l. 29.* perpetuo teneantur, infamiam quoque non subeunt *dd. ll. & Wesenb. d. l.* Etsi enim non aliter quam dolo interveniente competat illa actio tamen non est de dolo, sed rei persecutionem continet ut de tributoria loquitur *l. quia non 8. de tribut. act. Mejer. Coll. Argent. h. t. th. 60.*

139. Quarto loco causae ex qua doli actio decernenda est, non minima habetur ratio & quemadmodum non omnis metus tribuit actionem ad rescindendum contractum sed is demum qui cadit in hominem constantissimum *l. metum 6. quod met. caus.* ita nec ex omni dolo datur actio illa, verum eo duntaxat qui magnam ac evidentem calliditatem habet *l. 7. §. fin. h. t.* In quo tamen aestimando plurimum arbitrio iudicis relinquendum erit, qui pro personarum qualitate factique circumstantiis modo majorem, modo minorem dolum ad actionem tribuendam arbitrabitur sufficere, hoc nihilominus in abstracto verum manente non nisi evidentem ac magnum huic actioni facere locum *Barg. d. l. 4. c. 1. n. 7. Mant. tic. de tac. convent. l. 26. t. 8. n. 27. 28.*

140. Tertius doli effectus est poena quaedam quam incurrit qui per fraudem quid est machinatus. Et versatur potissimum in annulatione actus gesti, privatione beneficiorum iuriumque extra casum doli alias com-

competentium, aliorumque commodorum, aut etiam irrogatione infamiae. Quae contingunt vel in contractibus vel extra eosdem in ultimis voluntatibus, in iudiciis aliisque actibus *Barg. d. l. 4. c. 4. n. 5.*

141. Annullatio contingit in contractu, si dolus dederit causam contractui bonae fidei *l. 34. §. fin. pro soc. l. 7. pr. h. t. l. in cause 16. §. 1. de minor. Gædd. de contrab. stip. c. 3. n. 115. & seqq. Treutl. vol. 1. Disp. 28. th. 2. lit. F. Bocér. d. l. th. § 1. Zas. t. Inst. de act. §. actionum n. 43. Mantie. de tac. & ambig. conv. l. 1. c. 9. n. 23. Hackelm. Disp. illust. 2. th. 6. lit. 6. Mozz. de contract. sub divis. contract. n. 21.* Cum enim in hoc maxime contractuum genere bona fides exigatur *l. 5. C. de rescind. vendit. et proprium naturale ac essenziale ipsorum adjunctum sit, ut Gædd. d. l. n. 167.* loquitur, fit ut si per fraudem ac dolum ad unum ex iis ineundum quis inducatur atque ita quasi substantiale ejus corrumpatur, non possit consistere sed ipso jure irritetur & nullus reddatur *Gædd. d. l.*

142. Quam ob eandem rationem juramentum ad quod præstandum dolo alterius quis inductus est, irritum esse ac annullari communiter volunt, uti ex *Alciat. in c. cum contingat ext. de jurejur. n. 13. testatur Bargal. d. l. c. 7. n. 7. & 8.* Quamvis id de jure Canon. non nisi sub distinctione verum esse videatur *Bachov. ad Treutl. vol. 1. Disp. 21. th. 2. in fin. Cail. 2. observ. 42.* De jure autem civili ita si simpliciter cum juramento promissum sit, *vid. auth. Sacramenta impuberum C. si advers. vendit. Pac. antin. cent. 3. q. 79, Treutl. Disp. de jurejur. th. 2. in fin.*

143. Quod verò contractum b. f. ob dolum causam dantem nullum reddi dictum est, cum hoc moderamine erit accipiendum, si is qui dolum passus est, velit actum interire, nec malit ex eodem experiri eumque ratum esse. Hoc enim si sit, ex novo hoc consensu vires assumet etiam invito adversario, cui non licebit prætere ab initio fuisse nullum, nec firmari posse unius solius voluntate. Sibi enim imputet, quod tam fraudulento consilio in altero decipiendo

do usus est, & si audiri deberet propriam necessum esset ut
allegaret turpitudinem, quod non est ferendum *l. 5. C. de serv.
pig. dat. manumis. l. 4. C. de revoc. donat. l. 5. C. de condict. ib.
turp. caus. Gædd. d. l. n. 168. Mantio. d. l. n. 27.*

144. Altera poenæ species privatio scilicet commo-
rum ac beneficiorum ob dolum admissum juriumque dene-
gatio variè quoque contingit. Ita si unus ex sociis obstructis
conventus totum solverit, repetit à sociis *l. si in rem 12. §
cert. pet.* Quod si autem plures vel omnes dolo fecerint &
ex his unus vocatus in iudicium solidum præstiterit, nullam
habet contra socios actionem, nec ei à creditore sunt actio-
nes cedendæ, quia proprii delicti poenam subit, quæ res eum
indignum facit ut à cæteris quid consequatur participibus.
Nulla enim societas maleficiorum vel communicatio damni
iusta ex maleficio est *l. 1. §. 14. de tut. & rat. distrab. Barg. ti. l.
cap. 3. n. 36.*

145. Sic quoque renunciatione solvitur societas, cum
maneat donec in eodem consensu perseverant *§. 4. Inst. de
soc.* Sed planè si quis callidè in hoc renunciaverit societati
ut obveniens aliquod lucrum solus habeat, siquidem dam-
num hoc attulerit ei, solus hoc perferre tenetur, commodum
autem si quod percepit cogetur communicare *d. §. Inst. de soc.
l. actione 65, §. 3. pro soc.*

146. Idem dolus operatur hoc etiam in societate ut
socius perdat beneficium competentia. Nec enim æquum
est dolum suum quenquam relevare *l. verum est 63. §. 7. pro soc.*
Quod & in cæteris qui in id quod facere possunt, conveniun-
tur, accipiendum est *d. l. 63. veluti in marito §. 37. Inst. de act.
l. 12. l. 18. §. 1. sol. matrim. parente, patronove & ex donatio-
no convento §. 38. Inst. de act. l. 54. sol. matrim. l. 16. cum seqq.
de re jud. Treutl. vol. 2. Disp. 24. th. 4. lit. h.*

147. Filiumfam. excludit dolus à beneficio S^Cti Ma-
cedoniani si se v. g. sui juris esse ac patremfam. persuaserit
creditori *l. 3. pr. ad S^C. Maced.* Similiter repellit mulierem à
beneficio S^Cti Vellejani, quo ita demum eisubvenitur si non

callidè versata sit l. 2. §. 3. l. 30. ad Sc. Vellei. cum non calliditati sed infirmitati mulierum consultum velit l. si sine 5. C. eod.

148. In ultimis voluntatibus non minus hæcæ doli pœna deprehenditur: si quis enim suo se retinere hereditatem nolle dixerit, aliquid autem ex hereditate fraudulenter amoverit, beneficium perdit abstinendi, l. si servum 71. §. 4. de acquir. hered. Inofficiosique querela testamenti propter dolum amittitur, quam quis alias jure erat habiturus, l. nihil interest 12. de inoffic. testam.

149. Cumque regula in favorem heredis comparata, hæc sit, ut res legata ubi est, ibi exigatur, si dolo heredis fuerit subducta res & alia translata, in petitione legati propter dolum, ab illa regula receditur & ibi dari jubetur ubi exigitur, l. quod legatur 37. pr. de judic. l. cum res legata 47. pr. v. sed si alibi de legat. 1. sicut & ob dolum commissum ab herede, ne testamentum testator mutaret, in quo scriptus erat heres, vel à captante hereditatem legitimam, ne testamentum fieret vel ne testes venirent, si per hoc defecerit facultas testamenti faciendi, denegantur heredi actiones hereditariæ & in pœnam doli hereditas tanquam ab indigno aufertur, l. 1. pr. & §. 1. l. 2. pr. si quis aliq. test. prohib.

150. In judiciis ob dolum juratur in litem contra dolum ultra rei pretium l. in act. 5. §. 3. de in lit. jur. junct. l. 1. eod. l. Nefennius 41. §. 1. de re judic. l. 2. 4. C. de in lit. jur. Et qui dolosè se offert petitioni hereditatis sive rei vindicationi & generaliter omni petitioni, etsi nihil possidet, ex dolo tamen tenetur, l. nec ullam 13. §. non solum de hered. pet. Sic & dolosus possessor circa expensas factas deterioris est conditionis quàm b. f. possessor l. plane 38. de hered. petit. l. domum 5. C. de R. V. Cum illi possit objici culpa quod sciens impenderit in rem, quã intelligebat esse alienam §. ex diverso 30. Inst. de rer. div.

151. Minoris quoque dolo repellit eum à beneficio restitutionis in integrum, quod captis non delinquentibus paratum est l. si ex causa 9. §. 5. de min. l. 2. & 3. C. si min. se major. Quod

Quod similiter in maioribus 25. annis in casibus quibus resti-
tui in integrum possunt, procedit. Unde si dum quis apud se-
quentem Prætozem agere vult, tempus frustratur ei non sub-
veniendum dicitur *l. 26. §. 6. ff. ex quib. caus. maj. add. l. 4. ff. eod.*

152. Sed & in aliis pluribus actibus hæc doli pœna con-
spicitur & manifesta est. Committens dolum in impetratio-
ne rescripti vel falsi narratione vel tacendi fraude caret omni
commodo literarum, cum mendax precatore carere penitus
debeat impetratis *l. 5. c. si cont. jus l. super literis ext. de re-
script. c. si proponente ext. eod. c. 2. de filiis presbyt. in 6.* In-
cujus etiam odium cessat illa distinctio, concessurusne ille
qui dedit literas etiam sine illo dolo fuisset, nec ne, quippe
quæ habet locum in ignorante non in doloso *d. c. super lit-
teris.*

153. Item tollit dolus consuetudinem. Cum enim re-
ferente ita Celso Bargalio *d. l. c. 4. n. fin.* Præfectus Urbis Ro-
mæ, qui Imperatorem coronet, habeat hoc privilegium,
quod Imperator solvat omnia ejus debita de consuetudine.
Si jam Imperatore adventante Præfectus ille spe liberationis
ab Imperatore faciendæ audacior factus multa contrahat
debita atque ita dolosè versetur non debet secundum illam
consuetudinem liberari, quæ, ne observetur, fraude com-
missa effecit. *fac. l. 1. §. 1. si is qui test. liber. ess. juss.*

154. Et in genere nota est trita illa in Scholis ac foro
regula; Contra dolosum ac morosum omnia clamare jura.
Dd. in l. quod te. si cert. pet. Bargal. l. 4. cap. 4. n. 3. Est enim
fraus quasi vulpeculæ, vis autem leonis. Utrumque alienis-
simum ab homine est; Sed fraus odio digna majore. Totius
enim injusticiæ nulla est capitalior quam eorum, qui tum-
cum maximè fallunt, id tamen agunt ut viri boni esse videan-
tur *Cic. 1. offic.* Quare meritò lex ita acriter odio dolosos pro-
sequitur suisq; favoribus passim reputat indignos, nec cuiquã
dolum relinquit impunitum, præterquã vulpi propterea quod
est illi naturalis, ut ex illo Ciceronis loco colligere licet & as-
serit Baldus in *l. qua fortuitis C. de pign. act. Barg. l. 4. c. 4. n. 5.*

135. Quo

155. Quo fit tandem quod his omnibus pœnis super-
addatur aliquando cæteris gravior pœna infamiæ, quæ irro-
gatur in iudicio ob dolum condemnatis *l. ii. b. t. l. 7. §. i. de
rest. in integr.* Et quidem si suo nomine condemnati fuerint
l. i. l. 4. §. fin. de his qui not. infam. Alieno enim nomine si id
factum, infamiam non subeunt & ideò nec procurator meus
vel defensor vel curator vel heres ex hac causa condemnati
infamia notabuntur *l. furri 6. §. 2. d. r. ne ex alieno facto sen-
tiant detrimentum & ulterius progrediatur pœna quàm re-
peritur delictum l. sancimus 22. C. de pœn.*

156. Cæterum ita demum proficiscentur hi effectus ex
dolo, si legitimè constiterit de eo & debito modo fuerit pro-
batus. Est enim dolus ex facto intelligendus *l. i. §. i. de ex-
cept. dol.* ipseque facti est cum in animo consistat à quo velle,
& nolle, scire & ignorare res facti dependent *fac. l. 48. §. i.
de A. R. D.* Facta autem non præsumuntur nisi probentur,
arg. l. in bello 12. §. 2. de captiv. & postlim. Tum quilibet se-
cundum vulgata jura præsumitur bonus *l. quoties 18. §. i. de
probat. l. 5. C. de his qui sib. adscrip. l. meritò 51. pro soc. l. 77. §.
25. de leg. 2.* quatenus scilicet persistit in genere permissorum
aut etiam in his quæ se in utramque partem habent & possunt
aliquando permissa esse, aliquando non, modo palàm verfe-
tur, nec clam agendo præsumtionem adversus se inducat,
*arg. l. 54. de admin. tut. l. 5. C. de contrab. emt. l. ult. de rit. nupt.
Mantic. de tac. & ambig. convent. l. 4. t. 23. n. 23.* Quousque,
igitur contrarium non ostendatur, illa naturæ præsumtio ut
eam vocant, *vid. Tretul. vol. 2. Diss. 4. th. II.* immota consistit
doli que illi effectus induci non poterunt.

157. Probandus autem est ab eo qui cum allegat *d. l.
quoties de probat. l. 3. §. fin. de tribut. act.* indiciis ac conjecturis
l. 6. C. b. t. c. 2, de renunc. in 6. dubiæ rei, ut in probationibus
solet, facientibus fidem quamvis non necessariam sed præ-
sumtivam ac probabilem. Unde dolum directo probari
non posse elucet. *Bargal. d. l. c. 8. q. 2. Zanger. de except. pag. 3.
cap. 13. num. 81.*

158. Et

158. Et debent indicia illa perspicua esse ac manifesta
d. l. 6 id est, quæ non nisi in malam partem accipi possint,
veluti si Titius ut Cajum ad fidejubendum pro se inducat,
vinum fortius præbendo eundem inebriet atque ita persua-
deat. Quia actus inebriandi non potest nisi in malum accipi
ut apparet ex eo, quod postea fecit *vid. gloss. in d. s. dolum*
C. h. t. Quod si autem in bonum possimus actum interpretari,
in eam partem præsumtio fiet *Barg. d. l. n. 36.*

159. Sed & illa indicia pro manifestis & perspicuis
sunt habenda quibus probatis lex ipsa inducit præsumtio-
nem. Etenim cum lex dicat dolum ex indiciis perspicuis
probandum esse, super quibus fundat præsumtionem suam,
ea utique necesse est manifesta esse. Exemplum est in *l. 7. de*
admin. tut. ubi lex ex eo quod tutor non fecit inventarium,
præsumit eum in dolo esse. Similiter in *l. 32. de pos.* ex illo quod
depositarius non adhibuit eam diligentiam in re deposita quã
in suis adhibere solitus est, inducit tanquam ex indicio mani-
festo doli præsumtionem.

160. Prioris generis indicia certo jure non definita,
si clarane sint & aperta & an in bonam partem flecti possint,
dubiterur, judicis arbitrio remittenda erunt, qui de hoc ex
qualitate loci, facti, temporis, personarum & aliis arbitrabi-
tur. In posterioribus hoc tenetur tantum considerare, an
illa benè sint probata, non utrum ex illis probetur dolus,
quia ubi legis est declaratio, nullum est arbitrium judicis,
adeoque si e. g. heres mota jam controversia hereditatis le-
gata sine cautione solverit, non erit judicis arbitrari dolum
ne fecerit heres annon, sed solutione tali probata, dolum
quoque probatum habebit, quia lex ibi eum præsumit *l. 41.*
ad l. Falcid. Barg. d. l. q. 5.

161. Præterea in judicio specialiter allegari & proba-
ri debet dolus ac species fraudis exprimi; quemadmodum
non sufficit opponere contra testes nisi oppositio fiat adjecta
sigillatim specificatione criminum in articulis contentorum
l. 2. de testib. in 6. & in injuria specialiter designari oportet quã

G

quis

quis se injuriam passum contendat *l. 7. pr. de injur.* Ratio hujus ut in injuria sic & in dolo hæc redditur, quod non oporteat in tanto crimine vagari & alterius existimationem, temerè in discrimen adducere *d. l. 7. l. 16. b. t. Bargal. d. l. quæst. 21.*

162. Quo fit etiam quod allegans ac intentans dolum ac probans tantum culpam non obtinere debere dicatur, sed succumbere & reus absolvi, cum debeat illa qualitas doli in specie deduci ac verificari in facto de quo agitur. Nisi fortassis hoc ad culpam levem ut quæ verè diversa est à dolo, restringere præstat, aut ad culpam latam in criminalibus & similibus ubi non æquiparatur dolo; In aliis autem in quibus culpa lata & dolus æquiparari solent *vid. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. l. 32. depos. l. 29. mand. l. 8. §. 6. de precar.* libellus conceptus in uno ex æquiparatis procedere etiam in altero videtur; quemadmodum si in libello petam rem legatam, testamentum autem habeat verba fideicommissum importantia, debeo obtinere ob æquiparationem legatorum ac fidei commissorum. *Barg. d. l. c. 8. q. ult.*

163. Deinde etiam verba libelli latè sunt accipienda & impropriantur ad salvandam mentem libellantis *fac. l. 11 §. 2. de jurejur Marant. p. 4. dist. 1. n. 31.* At dolus latè acceptus continet culpam latiore *d. l. 32. depos.*

164. Sed de materia doli pro tempore tantum. Plura cui videre hac de re libet sæpius allegati Celsi Bargalii de dolo tractatum adire poterit, ubi affatim habebit. Nobis hic

stet littore puppis.

Co-

Corollaria.

I.

Convivalis quæstio est; Utrum in ludis licitis veluti Scaccorum & similibus invicem tanquam, per dolum bonum, sese supplantare liceat. Nos in iis quæ secundum naturam & leges ludi fiunt rectè sibi quemque vigilare credimus.

II.

Propriè nec dolus bonus nec malus est circumscriptio illa quæ in contractibus *εμπροσθεν* contingit & jure civili permissa est l. 16. §. 1. *de min.*

III.

Vectigalia notoriè illicita & injusta per dolum bonum licet fraudare.

IV.

Dolus circa qualitatem externam
for-

Fortunæ vel corporis licet causam dans,
non facit matrimonium nullum.

SOLI DEO GLORIA.

Excellenti Viro Domino
MAGNO VOLGER amico suo
honoratissimo ita gratula-
tur.

Affecta Magnorum Doctorum fidus es :
Ergo
Ut spondet Thema hoc, MAGNUM Ete
secula dicent.

Petrus Gavelius Suecus.

FINIS.




Principes dissidii religionis an in casu necessitatis ad detestanda
clā reimp. mūtua fœdera, illorum conscientia inire possint.


diss. 2. posit. 12.

Princeps orthodoxus an aliorum populorum in legitimo iure sua
gubernandi pressorum, curam aliquam gerere, eosque legitime
detestare possit. diss. 2. posit. 14.

Q

Religionum dissidias an in rep. bene constituta sistole
randa. diss. 2. posit. 16.





153709


AB: 153709


X2615956

Retro ✓

VD17







Farbkarte #13

B.I.G.



JURIDICA,
LO.
 MAX. FELICITER
 ENTE,
ictorum Ordinis,
 RESIDIO
ac Consultissimi,
RIEMERI JCTI
 errimi, nec non Scabi-
 is meritissimi,
motoris sui omni ob-
jugiter profes-
di,
 è examini subjicit
ger Hannoveranus.
 Jctorum
nsuetis
 K. Aprilis,
 N O
 XXXI.
 N Æ
EIDNERIANÆ.

